RERVM
IN GALLIA GESTARVM, ABVSQVE PROMVLGATO PACIS EDICto, mense Maio 1576. ad hunc diem insignis, eàque succincta narratio.

IN QVA, ARTIFICIA, QVIbus tranquillitatis publicæ inimici, ad postremum illud edictum eleuandum, maioresq́; quàm antea suscitandos tumultus, abusi sunt, recensentur.

Authore Georgio Ebouff.

CANTHVRII,
Ex officina Amedæi Menalcæ.
M. D. LXXVII.

PErmultis eorum̄ summam tenere cupien-tibus, quæ in Gallia gesta sunt, à promulgatione Regii, de tumultuum compositione, edicti, eiusdémque ipso Rege in Senatu suo Parisiensi, sedente, lecti & publicati 14. Maii 1576. de iisdem nonnihil scribere, non inutile fore existimaui, vt hoc pacto, artes, quibus nõnulli abusi sunt, tam in priuatis regni prouinciarum & præfecturarum comitiis, quàm in generalibus illis, Blesis nuper habitis, detegantur.

Hic sanè nemo non intelliget, quàm multis Ecclesiæ Christi, procellis agitatæ fuerint: quantáque constantia, & sancta securitate earum pastores cum suis gregibus, Religionis veræ exercitia, inter eos, quorum manus insonti illo sanguine, qui luctuoso S. Bartholomæi festo fusus fuerit, etiam tum madebant, instaurarint.

Hic in memoriam reuocabimus, exteras tum Germanorum equitum, tum etiã Heluetiorum copias ad postremum vsque Decembrem, in media Gallia remansisse: ab armis nunquam discessisse Catholicos: quãtis & quam variis, generales prouinciarum præfecti pene omnes, cuniculis, ad eleuandum illud edictum, & Euangelii professores modis omnibus exercendos, egerint. Primariarum Regni vrbium factiones, à Lutetianis, & eorum Episcopo, sub veniæ cuiusdam Pontifi-

ciæ prætextu, adinuentas.

Consilia item alia quædam, à nonnullis ex Nobilium ordine inita: eorum omniũ authores: crebras ad priuata comitia cursitationes, vt conuocatorũ suffragia emẽdicarentur, & ad Guisiorum deuotionem legati deligerentur. Insidias ad Nauarrenum Regẽ, & Principem Condeum intercipiendos, instructas: conatũs, quibus Danuillcum aduersus Religionis defensores, armare studuerint: dolos, quibus ab vrbe Perona (quæ tamen in vadimonium fuerat concessa) Cõdeus excluderetur: quàm astutè Casimirus à Galliæ finibus sit amandatus: partium verò Catholicarum equites, & Heluetii, relicti sint. Cauillas & tergiuersationes Senatuum, ne conclaues illa ex vtrisque conflata erigerentur. Regis profectionem in Normãdiam, & quo fine susceptam. Lutetianorũ strophas, ad prorogandum ab vrbe, miliarium duorum itinere, Religionis exercitium. Martinugæi, Grillonii, Miromontii, Altecutiani, & aliorum latrocinia, ad vrbes & prouincias tranquilliores, præter edicti tenorem, conturbandas, & penitus opprimendos ipsius Regis subditos. Multas eásque graues minas nonnullis Magistratibus propositas, qui sub pacis beneficio, ad tuendam edicti obseruationem sese accingebant. Nobiles & nuncios vndique emissos, ad Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, alióſque

alióſque informandos, vt & in genere, & priuatim, Religionis profeſſoribus negotium faceſſerent. Alios rurſum ab ipſis Prelatis ad ſingulas prouincias delegatos, vt priuatorum Comitiorum delecti inſtruerẽtur, nullam aliã præter Catholicam Romanã poſcendam eſſe Religionem. Stipẽdiarios exploratores, qui eos notarent, qui contra facere viderentur. Machinas ad decipiendos Euãgelii protectores, dum nimirum in reuocando in Aulam, Regis fratre Alenconio, qui antea ſe ad tempus ſubduxerat, ſe multùm ſudare fingerent. Ieſuitas, & huiuſmodi concionatores, ad turbas concitandas, huc & illuc productos. Miras factiones, perfidias, ineptias, imò multorum ſcelera, in illa Bleſiana ordinum conuocatione. Oppoſitiones à Religionis partium Principibus, Eccleſiarúmque legatis inſtitutas. Denique multiplices artes ad Religionem funditus non delendam modò, ſed & eius profeſſores opprimẽdos, Regnúmque in grauióribus, quàm vnquam antea fuiſſet, periculis, conſtituendum.

Harum, inquam, rerũ narratio, artificiorum illorum partem aliquam conſpiciendam exhibebit, cætera etiam obiter attinget, donec vberior temporum noſtrorum hiſtoria, pluribus omnia illa commonſtrauerit.

Itaque tenendũ eſt, ſtatim à poſtremi pacificationis edicti publicatione, bonam Re-

ligionis profeſſorum partem, ad ſua ſe recepiſſe. Hic parricidiorum memoriam Catholicis minimè obiiciunt: non bonorũ ſuorum direptiones, & iacturas memorant: non infinita alia multa, tum in ſe, tum etiam in ſuos affines & amicos flagitioſiſſimè perpetrata, ſatis ſibi eſſe ducẽtes, ſi modò (quod aſſiduis precibus & libellis ſupplicibus ab ipſo Magiſtratu efflagitabatur (Religionis ſuæ exercitiis, & vitæ tranquillitate frui, illis eſſet integrum: in eum enim finem paſtores & miniſtros ſuos reuocarunt.

Illud verò cum ſumma difficultate conſequebantur. Veruntamen quia tum in Gallia cum vniuerſis copiis commorabatur Caſimirus, inuiti concedebant, quod nunc eripere conantur: adeò vt licet deuotiſſimi Gallici diadematis hoſtes, in Galliã eſſent ingreſſi, vix tantũ laboris in illis expellẽdis fuiſſet inſumptum, quantum à Catholicis, factitatum eſt, vt omnem reſpirãdi facultatem Religionis profeſſoribus adimerent. Quin etiam, & vt illis inuidiã facerent, & terrorem incuterent, Campaniam, aliáſq; Regni prouincias, ab exteris Catholicis copiis, quæ abuſque inita pace, ad Comitiorum initia conducebantur, conſumi & deuaſtari, nõ tantùm non ægrè tulerint, ſed hoc ipſum permittere non dubitarint.

Illa ipſa tẽpeſtate, Regis theſauri, improba pa-

ba pacis inimicorum diſpenſatione, ita exhauſti erant, vt nulli ſæpiſſimé nũmi ad menſæ Regiæ ſumptus (dictu ſanè mirabile, in tanto præſertim, & tam opulento Regno) ſuppeterent. Sed enim iniqui Regis conſiliarii, dum ſe ab illa penuria ad meliorem adminiſtrãdarum rerum rationem inuitari, aduertere debebant, exiſtimarunt, nec non hodie (ſic atteſtantibus eorum conſiliis) exiſtimant, vnicam eam eſſe rationem, qua in amplitudine & Maieſtate ſua, Rex poſſit conſiſtere, ſi in mediis bellorũ ciuilium flammis, populus Gallicus conſumatur.

Intereadum Eccleſias ſuas, Religionis profeſſores, in Ducatu Normandiæ inſtaurabant: Rex Matignouei conſilio adductus, celeriter ad quaſdam illius Prouinciæ vrbes proporauit, vt ibi primum labefactaretur edictũ. Cardinalis Borbonius Rhotomagenſis Archiepiſcopus, qui ad illorum placita exequenda (licet in Borboniorũ exitium deuotiſſimé coniurarint) ſubſeruit, cum Rege ipſo miſſus eſt. Huic autem Rhotomagum ingreſſo nulla religio fuit, Miniſtri Eccleſiæ reformatæ ſuggeſtum conſcendere, ac exinde populum monere, vt paſtoris ſui, (qui idem ipſe videri volebat) veſtigia ſequerẽtur: ſin minùs, ſatis apertè (prout erat edoctus) malè illis ceſſurum ſignificabat.

Egregia illa tragicomedia, menſe Iulio

1576. acta est, quod fat. è afflictas iam tum Ecclesias vehementer percutit. Etenim ad Regis exemplum, qui silentio suo, Cardinalis factum probare visus fuerat, aliarum prouinciarum Praefecti, & Regni praelati, Religionis professores variis modis exercebant; ita vt singulis momẽtis, nihil aliud in aula quàm eorum querelae audiebantur, qui edictũ violari, & in eius praeiudicium, multa ab ipsis gubernatoribus tentari querebantur. Quibus de rebus, cum ad consilii stricti consiliarios referretur, illi non solùm quaerelas illas negligebant, sed etiam tanta superciliorum ferocitate clientes suos cõtuebantur, vt ex illis pleriq; causas suas deserere potiùs, & ab aula discedere quàm diutiùs cũ manifestissimo capitis sui discrimine immorari mallent. Quod si nonnulli maioribus animis praediti, importunis suis questibus aliquid impetrabant, adeò (quicquid illud esset) in appendẽdis Cancellarii sigillis laborabatur, vt antequam expeditionibus suis essent appensa, Magistratus, ad quos res pertinebat, literas alias acciperent, quibus aliud exequi quàm ad eos scriberetur, iubebantur.

Rursum Parisiensis Episcopus, Rhetii frater, ad Pontificem missus est legatus, vt ab eo alienandorũ Clericatus bonorum potestatem acciperet, ad 50000. aureorũ summam, in Regis vtilitatem: simul etiam generales

quasdam

quasdam venias bonis Catholicis impetraret, quæ plenariam peccatorum omniũ tum præteritorum, tum etiam futurorumq; condonationem, iis qui illas emereri vellent, continebant.

Reputet verò apud se quisque, an Pontifici, & vniuerso Romano consistorio, illius aduentus fuerit iucundus, eo præsertim nomine, quod sacræ factionis confirmandæ gratia rationísque ineundæ, qua edictum abrogare possent, veros Coronæ defensores excindere, Galliámq; exteris inimicis prædam obiicere, Romam venisset.

Guysii altera ex parte, nihil non pro amplitudine sua mouebant, & moliebantur, vt ex Dauidis aduocati commentariis antea publicatis apparuit, quorum etiamnum hodie téorem in praxim reuocari videmus: nempe Guysiũ factionis illius ducem, modis omnibus, Religionis professores infestaturum, vt illis hoc pacto, ad internecionem deletis, vniuersa Gallia in Pontificis imperium de nouo iuraret, concilii Tridentini placita arctè obseruarentur, Valesiorum à Capeto ortorum stirps paulatim exstirparetur, vt in solium Regium Guysii à Carolo magno oriundi, sublimarentur.

Parisiensi Episcopo ab egregia illa expeditione, regresso, Rex ad venias Pontificias promerendas, ad Augustinianorũ delubrum,

primus ipſe, pedes ſe contulit. Itidem à Regina factum quindecim pòſt diebus: quam etiam Regina Regis vxor, non pedibus quidem, ſed vehiculo, imitata eſt. Poſtremi in hoc negotio non fuerunt Guyſii, qui pedibus etiam idem præſtiterunt, vt poſtea Religionis profeſſores, fugam equis celerare cogerent.

Diebus illis expiatoriis, Pariſienſes plateas eiuſmodi venias promerentibus refertas videre erat: in quorum tamen oculis, potius deſiderium peccandi quàm odium apparebat.

Itaque ſub ſpecioſo illo prætextu, Lutetiani factiones ſuas procudere cœperũt, præcipuas Regni vrbes ad ſocietatem illam inuitarunt: quarum nonnullæ, quæ Guyſiorum familiæ, ſacramento addictæ ſunt, ad hoc præſtandum, paratiſſimas ſeſe exhibuerunt, ac iuſiurandum ſibi in hunc finem oblatum vltrò acceperunt.

Poſtquam igitur ciuitates in educti perniciem cõſpirarunt: idem à Nobilibus Catholicis Pontificiis ſeorſim cœptum eſt: qui ſanè tot & tantorum Principum, Nobilium, ſtrenuorum Ducum, & militum interitum, tantùm abeſt vt lugeant, vt corũ memoriam obliuione extinxerint. Tantùm præterea ſanguinis, per plateas etiam tum, & arua fuſum, tot loca vaſtata, tot mulieres, & virgines con ſtupratas,

ſtupratas, Regnum deniqueipſum, prædam factum nihil ducẽtes, nihilominus ciuium factioſorum conſortium tanti fecerunt, vt eos imitari non dubitarint, Guyſiúmque, generalem ſibi ducem ad pernicioſi adeò conatus exequutionem conſtituerint.

Guyſius ſtatim vbi Dux factus eſt, cum Nancæo, & Larchautio præſidiorum capita neo conſilium inire cœpit:quibus etiam Lomontius & Marignoneus præcipui illius aulici & Capitanei in aula tum etiam ſub menſis Auguſti finem,commorãtes, comites additi ſunt. Cum quibus conſilium illud cœperunt, viros idoneos, ad priuatos Prouinciarum ordines, mittendos eſſe,ad eorũ ſuffragia præripienda, qui legati ad generalia Ordinum comitia cupiebant nominari.

Paulò antè, machina in Nauarreni,Condei, & aliorum gratiam parata fuerat: aç in hunc finem Dux Alenconius fuerat in vrbem Bituricum inuitatus. Verùm quia Princeps Condeus omnium primus erat ingreſſurus,eo tempore, Duci propior factus, de deſerendo (ſi ſibi conſultum vellet) cœpto monitus eſt, tota illa machina in fumos abiit:ita vt vrbe Caritro egreſſus, (tum enim egrediendi tempus erat, ſiquidem à Perona, quæ tamen in illius prouincia ſita eſt, ac illi quò ſe reciperet,conceſſa,excluſus fuerat) ad Regem Nauarrenum à quo expectabatur,

rectà contenderit.

At verò vt fidem Regiã ita manifestè proditam & falsam, vmbra aliqua contegerent, partes illius Tragœdiæ, Præfectus quidam Peronẽsis habere & ferre iubebatur: qui confidentiùs generalem suum Gubernatorem, Regis licet adnatum, in vrbem se non admissurum testabatur, licet ea vrbs in fidem publicam esset concessa, & posita.

Morbum verò deprehendere minimè erat difficile, nec non etiam quàm iniqui Regis Consiliarii Regiam toties fidem labefactari nihili faciant. Nihil mirum. Non enim hodie primùm fraudulentas illas artes exercent, qui sine illis se consistere nullo modo posse arbitrantur.

Interea Religionis professores, iustis, & legitimis rationibus in hoc incumbunt, vt edicti Regii beneficio gaudeant: nec animum statim abiiciunt, quanuis multa illis obstacula obiiciantur. Fateor quidem non multis illos locis caput extulisse. Catholici enim Lugdunenses, Aurelianenses, & aliarum vrbium à Præfectis suis audaciores facti, nullo modo Religionis exercitium in vrbibus suis instaurari sustinebant.

Quod verò aliis nonnullis illud fuerit concessum, importunis querelis impetratũ est: aut potiùs quia in illis locis, Religionis professores, erant Catholicis potentiores, aut

quia

quia Germanicus exercitus è Gallia nõdum excesserat.

Casimirus in Burgundiæ Ducatu tandiu cõmorabatur, donec obsides, & nummi promissi adducerentur, ac quorundam in eodem Ducatu, locorum donatio, suum sortiretur effectum. Guysio factionis duci. aliisque eius asseclis, mora illa adeò grauis erat, vt nullam non adhiberent artem, ad expellendum eum, qui pacem aduẽtu suo, nobis attulerat, eámque mora illa firmam ac stabilem in manu sua retinebat.

Veteratoriis illis strophis, & illorum importunitate victus, Princeps ille candidus: pro candore suo, & illa clemẽtia qua sæpius vsus est, in Germaniam se recepit. Equitum verò Germanorum Catholicorum, & Heluetiorum, alii in Campania, in aliis locis alibi relicti sunt, vbi tot & tam variis modis, populum infelicem sanè, vexarunt, vt non sine suspiriis exprimi illa queant. Ac quod erat omnium iniquissimum, qui ad Regem molestias illas deferebant, duriùs quàm antea à Prouinciarum Præfectis tractabantur.

Rursum supremæ Curiæ, quæ in edicti obseruationem iurarant, ac etiam iustis solennibus obseruatis, illud promulgari curarant, dum præstiti iusiurandi memores esse debuerant, clàm & coràm, conclauia illa ex vtrisque conflata denegarunt, ne eorum frau

des deregerentur, quas ardente bellorum ciuilium face aduersus multos admiserant, qui de his omnibus, ad conclauia illa, si vt par erat, erecta fuissent, erant relaturi.

Supremæ eæ sunt curiæ, quæ coniurationes illas ad Regis subditorũ internecionem conflatas approbant. Supremæ illæ sunt Curiæ, quæ homicidis & sicariis lora & habenas relaxant quæ crimina diuinis & humanis legibus punienda tolerãt: quæ dum se propinquo Regni excidio fortiter obiicere debebant, extraneum hostem, Gallicarum factionum Principem, qui authoritatẽ Regi præripiat, nominari facilè permittunt. Supremæ illæ sunt Curiæ, quæ pacificationis edictum nulla intercessione refigi sinũt, ac vniuersum Regnum in grauiora quàm antea discrimina reuolui patiuntur.

Quæ sanè omnia, siquis sibi probari cupiat, in illarum Curiarum codicillis, acta, & sententiæ ab hinc 16. annis latæ inspiciantur.

Multa ibi capitis iudicia, multæ iniquæ & iniuriæ sententiæ aduersus insontes pronunciatæ reperientur: ex aduerso, infinitum veniarum & condonationum numerum inuenias, quibus improbissimi & sceleratissimi quique latrones, & prædatores absoluuntur: bonorum alienorum subhastationes, corruptas lites, falsorum testium subornationes, infinitásque hoc genus iudiciorum corrupte-

les &

las & adulterationes aduersus Regis clientes admissas.

Ipsis iisdem consciis, homicidæ & sicarii meditati, qui cōsultò & nefario scelere, Principes, & multos insigni nomine Nobiles proditoriè trucidarunt, amplis sunt muneribus donati & affecti, pro strenuis habiti, qui etiamnum hodie, maxima præ cæteris, authoritate pollent.

Nulla prorsus pietas, & religio in immanioribus terræ partibus non reperietur: in Aula Gallica, nullum genus scelerum (quantumuis atrocia sint) non admittitur, & exercetur: haud secus ac si earum rerum scholæ palàm haberentur, summa impudentia, summo Dei & virtutum omniū fastidio, ita manifesto, vt deinceps creaturæ sensus expertes, idonei apud Deū testes sint futuræ, impietatis & iniustitiæ, multorum sceleratorum, qui quorundam Italorum moribus virulētis infecti, suam in dies mensuram cumulant.

Religionem quòd attinet, modò profligata sit vera, erroneas qui velit, Postellus inuehat, ad mittetur. Cuius rei, & illius similes nebulones, qui hodie Parisiis publicè concionantur, sunt testes.

Nihilo tamen minùs, quia per edictum mense Augusto 1576. sancitum, liberum erat, Religionis vacare exercitiis, duobus ab vrbe miliaribus: Curia poscentibus idipsum Re-

giis ministris, quendam nomine Larcherum delegit, qui perticis & circinis, quod inter erat spatium ab vrbis suburbiis, ad locum vsque Religionis exercitio designatum dimetiretur, vt scirent, nũ locus ille, ab vrbe, duobus miliaribus propiùs distaret. Quod factũ est. Ac vt aliquid reperirent, quo Religionis professores interciperent. Larcherus à remotissimis S. Victoris suburbiorum ædibus dimetiendi initium facere voluit, ratus fortasse, se fabam (vt aiũt) in libo reperisse. Verùm antea locus ita fuerat præscriptus, vt qui illum designarãt, remotiùs quàm propiùs idipsum efficere mallent.

Parisienses Catholici, dum quod causari possent, nihil se habere sentiunt, puerorum & nebulonum turbas concitant, qui religionis professores à concione in vrbem redeuntes, innumeris contumeliis peterent. In quibus verò prouinciis Magistratus non adeò seueri erant, Martinengæi & aliorum copiæ (quæ eò consultò mittebantur) adeò truculenter & tyrannicè se gerebant, vt quacunque scelerata illa cohors pedem contulerat, sine horrore transiri non posset: nihil enim præter loca deserta, desolatúmque populum omittebant. Quinetiam, quia quid in mandatis haberent, satis norant, proteruis & probrosis verbis Magistratus, qui edictum obseruatum voluissent, insectabantur, multáque

illis

illis minitabantur: qui si deinceps religiosi esse pergerent, factionis Duci omnium minimè gratum illud esse, damno suo experirentur. Quia verò cohortes illæ, non omnia loca, in quibus Religionis exercitium habebatur, cingere poterant, constitutum est, nonnullos nobiles, & nũcios ad primarios Pontificios esse mittendos, qui Magistratus monerent, vt de infestãdis modis omnibus Religionis professoribus cogitarent, ne respirandi quidem spatiolum illis relinquerent.

Ad hæc visi sunt sibi expeditissimum aliquid excogitasse: nimirum cauẽdo, ne vbi extranei ad audiendas conciones, in vrbes admitterentur: extraneorum nomine, etiam vrbium in quibus habebantur conciones, suburbanos comprehendentes, regnicolas oppidanos, & vicinos: illi inquam, omnes pro peregrinis & alienigenis habebantur.

Cautiones verò eiusmodi cum quarto edicti capite, ex diametro pugnant: cuius hæc sunt verba, *Religionis reformatæ dictæ exercitium tum priuatum tum publicum liberum fecimus & facimus, in omnibus Regni nostri vrbibus, & locis ditionis nostræ, absque vllius temporis, aut locorum, aut personarum restrictione.*

Effecerunt autem cautiones istæ, vt multi iique probi viri cæsi ac trucidati fuerint: alii minitationibus perterriti, miseris aliis modis tractati domum dimissi, adeoque vexati, vt

ſiquis ea minutatim velit ſcribere, cum ſanè & charta & tempus deficiant.

Inſuper cõſiderandæ ſunt nobis rationes, quibus factionis author adductus, toties edictum oppugnarit. Iuſtitia emendanda erat, & in meliorem ſtatum reuocanda, Rex ipſe ære alieno ſoluendus, eius ſtatus optimis quibúſque rationibus inſtaurandus, Regnũ denique ab illis anguſtiis, in quibus coarctatũ fuerat, liberãdum. Fieri hoc nullo modo poterat, ſine ordinum generalium conuocatione, in quibus multorum querelæ, aduerſus tranquillitatis publicæ perturbatores, erant inſtituendæ. Verùm vt populi (cui pace ipſa nihil erat prius) deſiderium illud ſupprimeretur, tantum effectum eſt vt ſibi inuicem diffiderent. Multarum vrbium portæ præſidiis muniuntur, exteræ copiæ retinentur, factiones, & conſpirationes fabricantur, rumores, illo omnia perſonant, non aliam quàm Romanam Religionem à Rege eſſe retinẽdam. vndique curſores ad ambiendos delectos emittuntur.

Interea dum illo metu dubius & ſuſpenſus tenetur populus, Rex diplomatis ſuis ſexto Auguſti datis, ſingularum prouinciarum Magiſtratibus ſignificat, ſingulos ex tribus Ordinibus, in præcipuis ſingularũ præfecturarum vrbibus, ſtatim eſſe conuocãdos, quemadmodum fieri ſolet, vt ex ſingulis ordinibus

dinibus

dinibus nonnulli nominarētur,qui ad 15. Nouemb. Blesis se sistere debeāt, ac apud Ordines, querelas & expostulationes, si quas habeant, instituant.

Antequam autem diplomata illa in præfectorum ac Metropolitarum Iuridicorū manus peruenirent, iam eò appulerant cursores illi, quorum antea meminimus, qui Ordinem in delectu illo habendo seruandum euerterent: atque ita priuatorum suffragia comitiorum ambibant, vt quoscunque vellent, in fiduciariarum quas præ se gerebant, literarum gratiam impetrarent. Quòd si qui probi viri ambitiosa illa studia deprehenderent, aut iniquæ factiosorum hominum voluntati obsistere vellent, statim sententiam mutare cogebantur. Ducis enim factiosi votis erat acquiescendum, qui priùs huic rei, in omnibus prouinciis, in quibus authoritate valet, prouiderat, ne quis à religionis partibus in Ordinum illorum consessum admitteretur.

Dum hæc eo modo geruntur, Regina mater animos delectis addens, quò audentiùs in edictum eruerent, Alenconium reuocare, & in Aulam reducere restituit. Nam quanquam multi, Reginam Alenconii opera, ad Religionis professores decipiendos, & Germanicum exercitum, egregiis, sed in charta scriptis pollicitationibus, inutilem reddendum, abusam esse existimarent: plurimi tamē

contrà, Ducem solùm hoc fecisse, illúmque cum Rege consilium aliquod occultum exercere sibi persuadebant.

Quamdiu opinio illa hominum animis insidebat, multorum audacia comprimebatur, qui alioqui nunquam aduersus edictum suscipere ausi fuissent, si Alenconium illius se protectorem nunc vera præbere (quemadmodū eum se exhibiturum multis verbis fuerat pollicitus) animaduertissent. Vt autem faciliùs tragœdiam illam persequatur, fingit quendam Italum nomine Lescotium, summum circulatorem & præstigiatorem, secum habere, qui suis artibus Ducis animum flecteret, atque à pristinis studiis illum conuerteret & reuocaret.

Fascinatrix autem erat Nobilis quædam matrona nomine *De Sauue*, secretarii cuiusdam honorarii vxor, quæ certè officiis, & studiis suis, ita illum demulsit, & pellexit, vt alio non opus esset fascino.

Matrem vbi conuenisset, ab eáque dictatam lectionē excepisset, Lutetiam rectà contendit, vbi à suprema Curia, diploma Regiū, quo ille generalis Regis legatus designabatur, comprobatum iri, omnes confidebant. Verùm non statim detrahenda erat larua: itaque, vt Religionis professores suspensos teneret, parum ibi commoratus est, ac Olinuillam concessit, vbi publicè à Rege, vtcunque exceptus

exceptus eſt: quin etiam quæ præterierant, aliquomodo condonata ibi ſunt, quaſi antea inimici fuiſſent, qui priuatim mutuò ſe complectebantur.

Aliud agendū reſtabat: ſcilicet in Aulam, Regem Nauarrenum, & Principem Condæum pellicere, vt ibi (quod certò tenetur) denuò S. Barthol. feſtus celebraretur. Regina mater ſe nullo hoc negotio effecturam facilè credebat, quandoquidem Alenconius optimus illorum cognatus, amicus, & protector iam aderat. Saltem ſe illis ſuaſurā ſperabat, vt pro ſummis Regni rebus (id eſt, pro cruentorum & crudelium ſuorum conſiliorum exequutione) Bleſis ſe ſiſterent.

Cuniculis verò illis à Principibus deprehēſis, à cœpto illo deſtitit, filiū miſiſſe ſuum ſatis ſibi eſſe ducens, vt apud Catholicos fidem haberet, & ſecuros eos eſſe iuberet. Interea paruis itineribus, Chenoncellanum, ibi exequendorum ſuorum conſiliorum opportunitatem aucupatura, proficiſcitur.

Tradunt nonnulli ideò tam celeriter ſe ipſam recepiſſe, quod à quodam familiari ſuo accepiſſet, periculum eſſe, ne ſi pergeret, in quibuſdam vrbibus, per quas ad Principes iter erat factura, detineretur.

Interea vt vulgus magis ac magis aduerſus Religionis profeſſores concitet, & accedat, Ieſuitæ quidam, & Sorboniſtæ ex ſpeluncis

Iuncis suis in multas huius Regni ciuitates emissi sunt, qui Catholicis animos adderent, efficeréntque vt ministri ac Religionis partium præcipui, ciuitatibus eiicerentur: quod seditionum tubæ, nihil eorum ad hanc rem facerent, omittentes, strenuè exequi nôrunt.

Sub idem tempus, Episcopus Moruillerianus Blesas missus est, qui res totius prouinciæ disponeret, ac Ordinum sedes pararet. Quæ profectio Guysiis minimè fuit inutilis. Primùm enim curauit vt indigenæ Nobiles optimè instructi accerserentur, qui Regis mandatis parerent. Præterea, ciuitas quibusdam Capitaneis & militibus munita est, qui quidem in ciuium ædibus sine vllâ belli facie, sed tacitè & cum gratia diuersabantur. Vniuersa tum publicorum hospitum, tum etiam aliorum hospitia, ita dinumerata, vt ne Cerdonum quidem tabernæ, aut porcorum haræ eximerentur: omnia tantâ senis illius sedulitate perlustrata, vt vix illius astutias quis deprehendere potuisset.

Veruntamen, cumprimum Maintenonius & Nordestius prouinciarum dilectis hospitia distribuere cœperunt, eorúmque codicilli nonnullis aperti sunt, tum ferè ne murem quidem ex vrbe sine venia egredi posse, deprehensum est.

His in hunc modum istius Ordinum Præconis consilio & opera dispositis, prouinciarum

rum delecti, tempore ob diuturnos imbres permolesto appellere cœperunt: tantam enim rei gerendæ occasionē prætermittere nolebant: ideò prope omnes ad dictum diē conuenerunt, ne datam sibi in priuatis & comitiis tesseram amitterent.

Cancellarius cum AErariis quibusdam condipromis, aliísque assęclis, ad diem constitutum deesse noluit. Regina item mater cum eo, quem diximus comitatu, relictis Turonibus, Nouemb. 17. appulit.

Statim verò ex delectis, nonnulli qui Reginam salutatum eant, illíq; operam omnem suam, capita, fortunas, & omnia obsequia offerant, monentur. Illa rursum maximam delectis, pro ea erga se animi propensione, gratiam habuit, simúlque rogauit, vt Cancellarium iisdem animis conuenirent. En igitur prima animi delectorum magnitudinis lineamenta, qui meritò sanè omnibus ridēdi propinabantur, dum ita huc & illuc cursitarent, eos adoraturi. à quibus potiùs præteritorum rationem, totius Galliæ nomine exigere debebant.

Ad Viennæ suburbia, Rex ipse, Regina eius vxor, & Alenconius conuenerāt: qui Dominica die, Nouemb. 18. cum honorifico apparatu in vrbem à ciuibus admissi sunt: præcipui ciuitatis loci pictis tabulis iisque elegantibus ornati, quarum aliæ in Regis gra-

tiæ:aliæ in Reginæ matris, & vxoris Regiæ, ſtatuebantur. Quæ Regi erant erectæ tabulæ, figuris quibuſdam, & duobus diadematis circũ adornatæ erant, quibus eiuſmodi verba ſubſcribebantur, *Manet vltima cælo* Horum diadematum, alterum erat Galliæ, alterum Poloniæ.

Ante aduentum ſuum, quatuor militum cohortes, quæ Regimẽta vocãtur, Rex præmiſerat, quæ per mediam vrbem, omnibus ita inſtructæ, vt nihil deſideraretur, præterieruut. Circumiacentia vrbis loca, equitum & peditum turmis circũdata: Regia turma, qui ducenti Regis Nobiles dicuntur, Baugencæi diuerſabantur: Heluetiorum ſtipatorum numerus maior, quàm vnquam antea.

Numeroſus eiuſmodi exercitus potiùs quàm Ordinum conuentus, ex delectis multos, qui edicti obſeruationem prouinciarum ſuarum nomine petituri erant, attonefecit, factioſos verò ad inceptum perſequendum erectiores multò, & alacriores reddidit. Quamprimum ab equis deſultum eſt, Rex & frater eius Alẽconius. Matrem adierunt, qua cum trium horarum ſpatio, in illius conclaui manſerunt. Conſilium illud adeò promptum tántóque otio captum ſatis deinceps patefactum eſt.

Poſtridie Regis aduẽtus, tres ordines, ſuo ſinguli loco, & ordine, eius Maieſtatem ſalutarunt,

tarunt, quibus Rex gratiam habuit, ac illos cogitare iussit, quanã ratione Regni sui tranquillitatem retinere posset. Deinde illis de fratre adeundo, & officiis omnibus illi offerendis mandatum dedit: quod statim ab illis præstitũ est. Nam & Alenconio de aduentu gratulati sunt, ac ex eo miram se voluptatem accepisse testati sunt, quippe qui felicis eorũ exitus quæ in hoc Ordinum cõuentu tractanda erãt, causa esset primaria. Quibus respondit, se huiusce rei authorem esse, nihilque sibi gratius accidere posse, quàm si res ipsæ, eum quem diu pridem exopterat, euentum sortirentur.

Post aliquot dies, trium Ordinum delecti, Regis iussu conuocati sunt, vt vnà codices suos possent conferre.

Conuocatis illis, diu multúmque de honorariis gradibus concertatum est. Nihil præterea quod alicuius momenti esset.

Burgundiæ delecti multis iísque non ineptis rationibus, primum sibi ordinem deberi contendebant, quoniam Burgundiæ Ducatus, primus omniũ patriciatus esset. Contra ab Insulæ Frãciæ legatis contendebatur, qui se semper primas tenuisse opponebant, eámque sibi prærogatiuam in omnibus Comitiis, à multis iam annis concessam, nuper etiam ab Aurelianensibus confirmatam.

Eiusmodi aliæ cõcertationes habitæ sunt,

quas consultò omitto, vt ad alia festinem.

In Nobilium classe, tū de hoc capite, tum etiam de placitis suis ad Ordines deferendis non minor est exorta contentio. Ibi etiam ambiebatur, ac suffragia emendicabantur in cuiusdam Normandi Nobilis gratiam (prouinciā illam sibi ipse summopere poscebat) quem ad hoc negotium Guysius aliis omnibus antepositum exoptabat. Verùm quia variæ sunt hominum opiniones, nec facilè inter se consentiunt, spe sua frustratus est Normandus, commissāque Baroni Senescæo prouincia. Qua in re nihil Guysio detrimenti allatum est, quia & Senescæum sibi obsequentissimum habebat.

Rursum & alia inter Burgundiæ Nobiles quæstio mota est. Brionæū enim in conuentu quodam prouinciali Belnæ cōuocato, delegerant, qui Nobilitatis nomine sententiam suam ad Ordines deferret. Eiusmodi verò delectui à Rupebarone & alio quodam, qui comitiis illis prouincialibus non interfuerāt, reclamatum est: ita vt semel & iterū coram ipsō Rege res ipsa disceptata fuerit, à quo tādem iussi sunt, rem, quàm optimè fieri posset, componere. Brionii causam agebat Perrinus causidicus, Nobilium verò Baro Senescæus. Huic etiam cōcertationi, se tertii Ordinis delecti admiscere volebāt: sed sibi cum Legati generalis fratre (à quo tamen nun-

quam

quam malè accepti fuerant) negotium fore ſentientes, ſententiam mutarunt, & controuerſiam illam Nobilibus reliquerunt.

Hac ratione dies complures in eiuſmodi contentionibus & controuerſiis, quæ nihil aliud quàm temporis iacturam afferebāt, con ſumpti ſunt: ſed interim ſub eiuſmodi figmē-tis, varias factiones cernere erat.

Tribus igitur oratoribus, nimirum Archi epiſcopo Lugdunenſi; Clericatus: Barone Seneſcæo, Nobilitatis: & Verſoriſio in Lutetiana Curia cauſidico, tertii Ordinis nomine delectis, Auanſonius Ambrodunenſis Archiepiſcopus, Peronius Epiſcopus Pariſienſis, & Birageus, huc & illuc curſitare inci piunt, nunc ad Regis ædes, nunc per plateas, ſæpiſſimè per priuatorum domos, vt Pontificiis in memoriā reducerent, quæ eloqui iubebantur. Ac prout rerū ſuatū ſtatū cogno ſcebant, nunc Regem, mox Reginā matrem, Cardinales Borboniū, & Guyſium eorúmq; aſſeclas, in aurem alloquebantur: ita vt eiuſmodi machinas peræquè, ac meridiani ſolis lucem contueri liceret.

Etſi verò tandem quod quærebant, aſſequuti ſunt, multoties tamen in eiuſmodi obſtacula incidebant, vt ſæpius curſum ſiſtere cogerentur: quia ex Epiſcopis nonnulli, qui locis illis ſunt propinqui, in quibus, flagrantibus bellis, arma ſumpta fuerant, nihil aliud

quàm vitam belli expertem ducere cupiebāt. quod nulla ratione, sine edicti incolumitate fieri poterat. Illis verò Ambrodunensis Episcopus viam præcludebat. Etenim se aduersariorum (quos vocabat) insultibus, æquè obnoxium esse ac vllum alium, afferebat, se nihilominus in ea spe esse, si constanter ad vnicam Religionem petendam pergeretur, fore, vt Prælati facillimè ad edicti abrogationem peruenirent: qua sola ratione & ministri, & ex Religionis professoribus præcipui eò gentium profligarentur, vnde nulla vnquam aut illorum, aut ipsius etiam Religionis memoria inde reditura esset. Importunæ eiusmodi suasiones maiorū authoritati & imperio coniunctæ, effecerant, vt pauci illi ex Clericatu, qui pacem rogabant, tandem cum sociis suis ad edicti euersionem consenserint.

Cæterùm Cenomanensis Dux, Guysii frater cum sui similibus, nobiles continuò sollicitabat, graues nonnullis minas indicens, qui ad edicti labefactationē, nolebant descendere: aliis etiam multis argumentis significans, Regem ipsum factioni fauere, ac se sub illius fidem recepisse. Cuius factionis quanquam caput non esset ipse, sed per Guysium ageret, fore tamen, vt illius animum, cùm ad rerum exequutionem ventum esset, omnes intelligerent.

Parisiensis Prætor, Altissiodorensis antistes,

ſtes, ac Rayerius Diuionenſis Cauſidicus, factioſi Ducis fautores, certatim in id incumbebant, vt tertii Ordinis delecti vnicam & eam Catholicam Romanam religionem rogarent.

Qua in re ideo erant perplexi, quòd Hemardus Burdegalenſis Antiſtes, Præſes Molendinenſis, Maior & Legati Cabillonenſes, Bodinus, Stampenſis Legatus, aliiq; non pauci prouinciarum pacis ſtudioſarum à tertio Ordine delecti, validis adeò rationibus, factioſis obſiſtebant, vt illos ad ruborem com pellerent.

Dum ita in ordinum claſſibus contenditur, egregii illi viri, quibus ſeorſim in ſuis cõclauibus, eos omnes, qui aliud ſentirent, notare, erat iniunctũ, diligenter omnium ſenten tiis attendebant, ac eos, qui opinabantur, ſignabant, vt ne vel ſyllabã vnam omitterent, quam ad Ducem factionis & eius conſilium non deferrent.

Tum verò qui aduerſus factionem erant opinati, quantis minitationibus agitarentur, quàm toruis oculis diſpicerentur, quis dicat? adeò vt illorum pars maxima, nunquam domo ſua pedem mouiſſe optarent.

His tamen artibus detectis, nonnulli ex delectis palàm in conuentu ſignificare non dubitarunt, delatores quoſdam in ſui ipſorum medio reperiri, qui parui admodum fa-

cerent iusiurandū illud præstitum de iis quæ inter se agebantur non referendis, donec qui delectus esset, rem totam omnium nomine ad Regem deferret.

Nihil omnino proficiebant istæ querelæ, adeò enim frontis erant perfrictæ isti delatores, vt iniquiores in posterum se præberent. Quod cùm aduerterent Nobiles, aliam legem, aliúdque iusiurandum conceperunt, sibíque interposuerunt, vt si ex cōsessu aliquis, eorum quicquam deferret, quæ dicta aut facta essent, delator eiusmodi sordidus, ignobilis, & plebeius haberetur, ac tanto & tam honorifico conuentu indignus expelleretur. Nihilò tamē minùs eodem semper modo se res habebant: ac tantùm abest, vt postea de iis conquererentur Nobiles, vt è contra omnia alto silētio sint sepulta, nec vlla eorum facta vnquam sit mentio.

Negotiationes eiusmodi, primæ Regis sessioni moram attulerunt, qui interea orationem, quam habiturus erat, memoriæ mandabat. Adde etiam quòd alia quædam priùs erant tractanda. Regina mater, eiúsque consiliarii, Regem Nauarrenum, Principē Condeum, aliósque insignes viros, Comitiis illis interesse summopere cupiebant: vt habita Regis oratione, aut in edicti abrogationem simul cum aliis consentirent, aut si id facere recusarent, non dimitterentur.

Te

Vt autem commodiùs huic rei prouideretur, tres ex singulis ordinibus viros deligi iusserunt, qui numero nouem erant futuri: ex quibus ad Regem Nauarrenũ tres, totidem ad Principem Condeum, ad Danuilleum reliqui tres missi sunt, qui illos ad Ordinũ Comitia inuitarent. Varia fuerunt illorum responsa. Princeps Condeus Legatos ad se missos seriis verbis excepit, ac illis conspiciendas exhibuit, quas iamdudum fabricatas factiones intellexerat, sermone suo indicans, cõuentum illum Blesianum, meram esse aduersus Regni tranquillitatẽ, coniurationem. Nõ ita ingenuè Nauarreno est responsũ: sed ita tamen, vt morbum ostenderet, simúlque alia quærenda esse remedia, quàm ea quibus cõuocati Ordines abuti vellent. Danuilleum quod attinet, licet Comitiis illis non interfuerit, paulò pòst tamen, quod ad tempus in sinu virus gestarat, in apertum tandem produxit: ac sanè quæ res ab illo subsequenter gestæ sunt, mira produnt eorum artificia, quæ narrationẽ ad hoc ipsum seorsim institutam merentur, qua posthac pacis publicæ inimicorum fraudes detegentur, & hominum oculis exhibebuntur, quibus Galliam in turbas & bella ciuilia retrudere conati sunt.

Parisiensis Episcopus, Archiepiscopus Ambrodunensis, & Abbas Esuayensis, postquam multa moliti sunt, ac in priuatos Le-

gatorum codices diligenter inſpexerunt, an capiti, de vnica eáque Romana religione poſcenda, aliiſque quibuſdam contra edictum facientibus eſſent conformes, Matri tandem Reginæ ſignificarunt, tempus eſſe, ſi luberet, primæ ſeſſionis inchoandæ, ſiquidem omnia optimè haberent, & optimo in ſtatu eſſent conſtitutà. Haud mora. Regina, Gonzagæus Dux Niuernenſis, Birageus, aliíque illius conſiliarii 6. Decembris diem rei aggrediendæ deſtinarunt.

Antequam autem quid ſuſciperetur, ieiunia, & conceptiuas ſupplicationes habendas eſſe ſuo modo, ſtatuerunt, quibus Ordinum conuocationis Deo opt. max. euentum commendarent. Inter peragendas eiuſmodi luſtrationes, multi & legatis & aliis aulicis loculi amputati ſunt. Ac nunquam tanta zonariorum ſectorũ copia, quàm eo die in Aula reperta eſt: qui eò vſque audebant, vt ne in Regium quidem cœnaculum ingredi dubitarent, ita vt qui multi refertis loculis venerant, vacui reuerterentur.

Põtificii Catholici multo Religionis vultu, factiones ſuas obtegebant, ſed in eorum facie, quid cum ſeditioſo illo Duce conſilii cepiſſent, legebatur.

Peractas eiuſmodi ceremonias aliæ de Regis ſeſſione ſubſequutæ ſunt. Cæterùm ad vnguem Rex orationem ſuam tenebat, nihi I

nihilque restabat aliud, quàm vt eam ex suggestu pronunciaret. Verùm vt tragœdia illa plus momenti ac ponderis esset habitura, theatrum in quo agenda erat, magno appara tu ornatum esse decebat, sed illis recēsendis quæ iam omnibus plus satis comperta sunt, non immoror. Rex in Aulam superbis tapetibus & peristromatis nitentem ingressus, cum solenni pompa in thronum suum dedu ctus est. A dextris Regina mater, & Dux Alenconius subsidebant: paulò inferiùs ab eadem parte, Cardinalis Borbonius, Mompensierius, Princeps Delphinus, & ab eorum tergo Dux Vticensis. A sinistris, Regina Regis vxor, & paulò remotiùs tres Clericatus patricii. Sedebat verò in cathedra Cācellarius in medio theatro, quod vndique à Regia turma præsidiorum Capitaneis, fecialibus & apparitionibus, ad hoc opus, vt par erat, splē didè ornatis circunstipatum erat. Trium Ordinum delecti, decenti singuli ordine, tum à dextris, tum à sinistris erant positi. Clericatus quidem dextrorsum in loco honoratiore, à fronte verò læuorsum Nobilitas: populus verò inferiùs, tum dextrorsum, tum sinistrorsum.

Circa secundam promeridianam 6. illius mensis, Rex in throno sedens, postquam vniuerso cœtui caput aperuisset, eiusmodi cœpit habere orationem, quæ hoc loco verbo-

tim descripta est.

Regis ad Ordines oratio.

Neminem vestrum arbitror Viri Ornatissimi, qui aduocatæ huius concionis causas non teneat: vt in iis commemorandis tempus conterere, nihil opus sit. Neminē etiam vestrum huc venisse confido, quin ad ea, quæ meis diplomatis, in singulis prouinciis promulgatis, mandaui, non sit instructissimus.

Ac insuper mihi persuadeo, nullū in hoc frequenti concursu adesse, qui secum eum animum, quo bonum & fidum subditum erga Regem suum, & totius patriæ salutem affici oportet, non attulerit.

Hoc posito, in tanta hac peritissimorum & ornatissimorum virorum corona, viam & rationem iniri posse cōfido, qua otio, & tranquillitati huius Regni status reddatur, simul etiam confusionibus & imposturis, quæ effræni bellorū ciuilium licentia inuectæ sunt, prouideatur: populus meus à tyrannide liberetur: remedium deniq; malis afferatur, quibus status huius corpus adeò afflictum est, vt nullum mēbrum incolume relictum sit: cùm antea Regnum & felicissimum esset, & florentissimum: præ cæteris verò, pietate erga Deum, iustitiæ integritate, subditorum consensu, summa Regum obseruantia, & fide erga omnes clarissimum. Quorum hodierna luce

luce omnium, adeò est alterata facies, multísque locis obliterata, vt vix ac ne vix quidem illorum vestigium, aut vmbra aliqua superfit.

Enimuero cùm miræ istius mutationis, quæ à Patris & aui laudatissimæ memoriæ Regum temporibus, subingressa est, rationẽ ineo: ac præteritorum cum præsentibus comparationem instituo, felicem eorum conditionem, meã verò duram, & infelicem agnosco. Non enim ignoro calamitates omnes tũ publicas, tum priuatas, quæ solent accidere, à vulgo rerum non adeò perito, Principi assignari, illum incusari, ac iniuriarum vindicem vocari: quasi omnibus sinistris rebus occurrere, aut illis, quàm promptum omnes expetunt, remedium afferre, in illius potestate esset positum.

Hoc tamen me consolatur & erigit, quod nullus sanæ mẽtis, turbarum originem, quæ tantas nobis calamitates inflexerunt, ignoret: à quarum tamen culpa, & criminatione, tenera illa ætas, in qua ego & Rex felicis memoriæ frater meus eramus constituti, nos vindicabit.

Reginam verò matrem meam quod spectat, nullus qui illis temporibus extiterit, nescire potest, quantos & quàm incredibiles labores obierit, vt tantis miseriis aditum occluderet. Aliud verò fuit prouidentiæ Diuinæ

consilium. Cæterùm quantum inde doloris hauserit, verbis exprimi non potest, adeò beneuolo, adeò materno in Regnum & nos liberos suos animo ferebatur, dum legitimæ & paternæ hæreditatis nostræ dissipationem præsentiret. Cuius hæreditatis nostræ conseruationem, Deo primùm, illi verò secundò, acceptam referre debeo: neque verò ego id solùm, sed etiā in genere omnes, qui aliquo in patriam studio ducuntur, immortales illi gratias, pro vigilantia, animi magnitudine, cura & prudentia, habere tenentur. Hoc enim pacto ad procurandum Regni salutem, teneram ætatem nostram aduersus procellarum iniurias, vesanientes vētorum impetus, varias denique aduersariorum factiones, quibus vndique status hic noster agitabatur, tutandam, clauum moderata est.

Mihi verò (vt opinor) nullus est, qui testimonium nō ferat, simul ac ætatem armis gerendis, & officiis Regi præstandis idoneam attigi, nullum me laborem, aut operam denegasse: imò potiùs periculis omnibus, & præliis, in quibus bello finem imponere, armis tentatum est, caput meum obiectasse. Rursum vbi animorum conciliatione, ad pacem redire opus fuit, illud ipsum à nullo magis, quàm à me fuisse expetitum: quem certè ad honestas quascunque pacis cōditiones propositas attendere, nunquam piguit.

Porrò

Porrò ſtudium illud meum de parandis huius rei turbis, ante meam in Poloniã profectionem, neminem præterire puto. Quanto etiam in incẽdio reditus meus omnia deprehenderit, palam eſt. Multas ciuitates occupatas, multa caſtella, Regia vectigalia pluribus in locis vſurpata, commercia impedita, ſubditorum maiorem partem omni licentia & libidine effrenatam. Regnum denique ipſum in ſummam ataxiam redactum. Quæ ſtatim cum aduentu meo animaduertiſſem, omnibus officiis, & rationibus quibuſcunq; potui, pacare conatus ſum, diffidentiæ occaſiones procul amoliri, omnes ſecuros reddere, ſubditos meæ mentis capaces facere, ſimúlque teſtari, me nihil aliud quàm de extinguendis bellorum facibus cogitare, ac efficere, vt ſub imperio meo quiete, & in otio omnes degerent.

Irritus quidem fuit meus iſte labor, ac bona illa animi intentio expectatione ſua fruſtrata eſt. Quod cùm non ſummo ſine dolore vidiſſem, ad extrema illa remedia, quæ tanquam Syrtes ac ſcopulos effugere conabar, confugere coactus ſum. Quãquam plus ſatis experientia didiceram, quanta mala ſeditiones inteſtinæ afferre ſoleant: quantis illarum iniuria ærumnis, huius regni incolæ penè abſorpti ſunt: quæ ſi vlteriùs progrederentur, indictiones & vectigalia continuare,

vel fortaſſe etiam augere(prout bellorũ ſumptus immenſi ſunt)mihi neceſſe eſſet.

Animaduertebam inſuper, ſtatim in ipſo mei Regni limine, mihi è manibus eripi & excuti occaſiones,humanitatis meæ ſubditis exhibendæ, ac etiam illius animi proferendi, quod ad ſubleuandos omnes, & vnumquenque pro meritis ſuis ornandum, affectus veneram. Colligebam inde, illud mihi à quo præcipuè abhorrebam, euẽturum:quãquàm ingenuè confiteor,nihil mihi in omnibus bellorum periculis grauius accidiſſe, aut cordis mei intima penitiùs lancinaſſe, quàm populi mei calamitates & oppreſſiones: quarum certè miſericordia motus, Deum ſæpe ſupplex rogaui, vt mihi citò populum ab illis meum liberare daret: ſin minùs in hoc ætatis meæ flore,& regnum,& vitam meam,cum ea exiſtimatione, quæ par eſt principi, longa iam ſerie à magnanimis regibus oriundo, terminaret,potiùs quàm mihi,in tãtis ſubditorum meorum calamitatibus, quibus nullum afferre remedium poſſet,cõſeneſcendum,ac memoria Regni mei in infortunii exẽplum poſteris relinquenda eſſet.

Deo quidem immortales gratias habere debeo,qui in mediis turbiũ procellis, ea me ſemper fiducia ſuffulcire eſt dignatus, quòd hoc meo capiti diadema in mei perniciẽ non impoſuerit, aut ſpectrum in manum meam,

ia furoris virgam deposuerit: imò potiùs me in hoc supremo dignitatis Regiæ gradu collocarit, vt sim illius gloriæ instrumentú, minister, & dispensator eorum beneficiorum, quæ infinitis confert hominibus, quos ipse sub imperio meo & præsidio posuit.

Atque sanè illum ipsum in testem aduocare possum, mihi meorum salutem & tranquillitatam vnicum finem esse proposi um: eóque cogitationes meas omnes, & consilia, tanquã ad maioris gloriæ & felicitatis, quàm in hac vita adipisci possem, portum dirigere.

In hac animi contentione, postquam certamina & pericula, vtrinque timenda perpendi, clementiæ tãdem & compositionis viam mihi ingrediendum esse censui: cuius iam hodie fructus illo percipitur, quod faces illæ, quibus vniuersum Regnum incendebatur, ac in nihilum (nisi subitò aqua illa superinfusa fuisset) redigebatur, extinctæ sunt.

Neque verò mihi dubium est, à tanto incendio, quale fuit illud, quod tandiu in Gallia grassatum est, multas superesse reliquias, quæ denuò (nisi obuiam eatur) in flammas erumpere possent. Huic verò rei operã meam præcipuã collocare, mihi est animus, omnia, quantùm fieri poterit, ad optimam pacẽ confirmandam & stabiliendam, accommodãdo: quam certè pacem, vnicum autumo esse remedium, quo possit hic status incolumis con

sistere. Certè enim manifestum est, siue ista, quæscunque editiones, sanctiones, aut leges, ad subditorum meorum leuamētum, ex hoc loco ferre possem, nullum momentum habiturus.

Sinamus igitur nos, tum alienorum infortuniorum exemplo, tum nimia nostrorum experientia doceri. Spero equidem, si singuli officiis suis defungantur, Deo sic bene iuuante prius dimissum iri hanc concionem, quàm securæ tranquillitatis fundamēta iecerimus, remedia quibus subleuetur miser populus, inuenerimus, rebus malè gestis prouiderimus, omnes denique status in optimum ordinem ac disciplinam restituerimus. Nihil enim adeò arduum est, quod opera, & vniuerso subditorum meorum consensu (quorum hic omnium nomine adestis) ad optatum finem perduci posse, non mihi pollicear.

Quamobrem, per illam quam mihi debetis fidem, per vestri in me animi propensionem, per amorem illum, quo patriam communem, ad vestri, vxorum & liberorum salutem, fortunarúmque confirmationem, prosequemini, oro, atque obtestor, vt procul positis sinistris animorum affectibus, vno consensu, vnóque animo, mecum huic operi, manum seriò admoueatis, ad pacem adeò necessariam stabiliendam, ad belli radices euellendas, discordiarum semina suffocanda, quæ malè

malè gesta sunt corrigenda, iustitiam integritati suæ reddendam: denique corruptos huius Regni humores repurgādos, Regnúmq; ipsum, hodie tandem, valetudini suæ, vigori, & prisco splendori restituendum, iuuare velitis.

De me verò sic sentias velim, me Dei gratia, qui sim agnoscere, ideóque ignorare minimè velle, cur me in tantū honoris & dignitatis gradum euexerit: tantùm abest, vt summo illo, quod mihi largitus est, imperio abuti velim.

Etenim mihi aliquando muneris mei rationem Deo reddendam esse, teneo: itaque hic coram illo testari paratus sum, mihi in animo esse, bene, iustè, & legitimè, quos mihi demandauit, regere, & moderari: nullúmque mihi alium scopum esse propositum, quàm eorum salutē & prosperitatem: nihil me magis in votis habere, quàm vt eos sub imperio meo, placidè & vnanimiter viuentes cōtuear: populum meum subleuatum, Regnum imposturis illis, quæ temporū iniuria irrepserunt, repurgatum, optimam constitutionem & disciplinam in singulis ordinibus restitutam.

His autem perficiendis, me dies & noctes, operam collocaturum, sensus omnes meos, studium, labores, sanguinem denique, ac animam ipsam, si opus est, libenter profusurum polliceor.

Cæterùm confidite, (fide hoc Regia spondeo) me daturum operam, vt quæ in hoc cœtu à me decreta fuerint, inuiolatè, & irrefixè teneantur, & obseruentur. Nullum ab his legibus soluam, nec earum quicquam refigi patiar.

Quare si mecum hac in re conspiratis, nihil est quod vestrorum laborum fructũ possit remorari. Certum enim est, Deum huic cœtui, sanctísque illius cõsiliis affuturum esse: quorum certè consiliorum, si fauente illo, optatum finem consequar, spero me non minùs sub imperio meo, florentem Coronam meam, felicésque subditos, quàm vllis aliis maiorum meorum temporibus couspectu-rum. Hoc verò vnum omnibus à vobis, assiduísque precibus, à Deo indesinenter tanquam summum honoris & gloriæ fastigium, quod in hac vita consequi possem contendo: quò si peruenero, cumulatissimum & felicissimum me esse, tum demum confitebor.

Integram illam orationem hic inserere volui, vt quæ res sint illam subsequutæ, doceât, qua ratione, egregii illi consiliarii, Regi & eius Regno illuderent, dum illum ita loquentem in medium proferrent. Ac quò distinctiùs verba ista pronuntiare audiebatur, eò faciliùs percipiebatur, hæc in illius memoriam à tranquillitatis inimicis inspirata esse, ac suggesta, vt quod de Caroli 9. illius

fratris,

fratris, sermonibus & pollicitis facere consueuerant, idem nunc in hoc experiatur. Neque verò amplis glossematis hic opus est: quod enim post sex menses in felici Gallia accidit, satis ostendit, dum illa verba ad orationis suæ finem pronũciare iussus est, se nimirum, coram Deo testari, sibi in animo esse, bene, iustè, & legitimè regnare: nullum alium sibi propositum esse scopũ, quàm subditorum suorum salutem, & prosperitatem, nihil magis expetere, quàm eos vnanimiter, & placidè sub imperio suo degentes, cernere: miserum populum subleuatũ videre: Regnum suum imposturis multis, quæ dissidiorum licentia irrepserant, repurgatum, omnibus & ordinem & disciplinã restitutam: hoc inquam, satis ostendit, fuisse illud in Dei, & piorum hominum faciem, cum summa audacia conspuere. Quod apertissimè factiones & proditiones illæ iam antea conceptæ denotabant. Misellæ plebis calamitas, horrenda Yssoduri in Aruernia depopulatio, atrocia facinora in Religionis professores à Romanis Catholicis in Delphinatu, & Narbonensi Gallia, patrata, exercitus diuersis locis conscripti, à quibus ea admittuntur scelera, quorum horrore, vel ipsi Turcæ obstupescerent: maiorum quàm antea turbarum quotidiani apparatus. Guysiorum factiones, & recenter adinuentæ machinæ, in æternum Regni, aut

excidium, aut saltem horrendam dilaniationem. Hæc inquam omnia, omnium oculis manifestè produnt, quantum virus sub speciosarum vocum specie, scelerati illi cōsiliarii occultarant.

Postquam Rex dicendi finem fecisset, significauit, quod reliquum erat, à Cācellario esse addendum. Tum Cancellarius, Rege bis reuerēter salutato, ad eum, sermonem suum dirigens, aliquantulum temporis astitit. Deinde ad cœtum se conuertens, quòd septuagenarius esset, & in eiusmodi rebus parum exercitatus, nonnullas excusationes contexuit: simúlque testatus, se vera dicturum, nonnihil de Galliæ ordinibus, confusè admodum disserere cœpit. Deinde sigillatim de Clericatu, de Nobilitate, & tertio Ordine, quædam inseruit, frigidè adeò & ineptè multis locis, vt etiamnum hodie, genuinos Gallos, infelicis istius aduenæ impudentiæ pudeat: qui statim illo dicendi genere relicto, se ad Regis laudes, & Reginæ matris commendationem, cōtulit: qua in re, multò quàm antea ineptiorem se exhibuit. Tandem verò de corradenda pecunia egit: conuocatorum enim Ordinum hæc erat causa secundaria. Nam quò facilius factionis suæ capita exequerentur, Religionísq; professores funditus delerent, immensis opus erat thesauris, quippe qui per tantos gurgites peruehantur.

Confecta demum præclara illa oratione, de sede sua surrexit, ac in Regis conspectum venit, ab eo petens, vt nũquid delecti in medium producturi erant, sciscitaretur, ideóque illis dicendi facultatem faceret. Quod per Regem licuit. Verùm quia delecti nihil dum certi statuerant, neque etiam per tempus quicquam afferre liceret, nihil protulerunt. Spinacius quidem Lugdunẽsis Archiepiscopus, ingenti salutatione præmissa, Regi, pro bono illo animo, quo erat affectus, totius Clericatus nomine, maximas habuit gratias. Idem Nobilitatis nomine à Rupefortio: tertii Ordinis ab Oleario mercatorum Parisiensium præfecto præstitum est.

En quæ eo die in illo Ordinum generalium conuentu, acta sunt. Regis & Cancellarii declamationes, quibus tantus aurium numerus pascebatur, cuidam præbuerunt ansam, conscribendi eiusmodi carminis:

Facta hominũ persæpe solent accedere dictis.
Optima Rex loquitur: natura quippe benignus.
Illius at legum exercet contraria Custos,
Pessima namque facit, nihilo meliora loquutus.

Sed quia vox illa, *Benignus*, nimis ambigua esset, vt & duorum priorum versuum sensus: postremi verò non satis exprimerent, quod sequitur epigramma publicatum est:

Haud poterit constare thesis sibi carminis huius.
Rex bona nulla facit, quamuis meliora loquatur:
At legum Custos, nequit infelix & iniquus,
Verbis deteriora suis præstare malignis.

Dum Comitia Blesis haberentur, Flandriæ, aliarúmque inferiorum prouinciarum legati in Aulam appulerunt, cum hoc Ordinum suorum mandato, vt obnixè Regem rogarent, duræ adeò seruitutis, & tantæ vastitatis, in qua ab Hispanis redacti erant, misereretur: ac ob iustā adeò causam, Alenconium sibi protectorem vellet concedere. Religionis professoribus grata admodum erat eiusmodi petitio, duabus potissimùm de causis. Altera, quia vix vnquam commodiorem recuperandarum illarum prouinciarum, quæ ab Austracensibus vsurpatæ fuerant, occasionem Rex nacturus esset.

Altera verò, quia si Alenconius professionem illam suscepisset, delecti Ordinum sententiam mutare cogerentur, simúlq; factiones illæ in Religionis perniciem conflatæ in alium vsum conuerterentur, dum ira & stomachus ille in Hispanos, veteres Galliæ inimicos deriuaretur. Verùm probis adeò & frugi consiliariis Rex stipatus est, vt dum quæ ab Hispanorum Rege stipendia accipiunt, sibi eripi metuunt, Regem ab eo consilio auertere,

uertere, ac in subditorum suorum ruinã con uertere, quàm in Hispanũ, cui deuincti sunt aliquid moliri, maluerint.

Improbitatem antea quorundam audiuimus, qui nihil aliud, quàm ea, quæ seorsim in singulis conclauibus tractabãtur, deferebãt: quæ res inter delectos ipsos, qui ne verbulũ quidem proferre poterant, quod aut Cancellario, aut factionis Duci, & eorum consiliariis, non deferretur, rixas infinitas pariebat. Delatores tamen eiusmodi non poterãt deprehendi. Sed cùm aliquando nonnulli hac de re soliciti essent, exorta est cõtentio quædam, quæ eorum aliquid aperuit.

Clericatus enim delecti de beneficiorum collationibus, & nominationibus, caput aliquod in medium protulerant. Lugdunensis Archiepiscopus omnino earum rerum authoritatem Clericatui asserendam & relinquendam contendebat: cui nonnulli alii, licet inde detrimẽti nihil minùs, quàm Archiepiscopus ipse acciperent, renitebantur. Sed quia sentiebant illi (si huic capiti locus esset) heris suis facultatem iri ademptam, qua ipsi donis immensis, quæ singulis diebus accipiebant, ornabantur, Archiepiscopo, eiúsq; sectatoribus obsistebant, nec eorum rationes vllo modo audiri patiebantur. Suffragiorum tamen numero, superior factus est Archiepiscopus, ac prout ipse, de eo capite, initiò dis-

seruerat,ita statutum est. Quæ res tãtam Parisiensi Episcopo bilem commouit,vt statim egressus, Cancellarium adierit, eíque rem ipsam vt gesta fuerat,exposuerit.

Quinta verò vespertina, ambo illi ad Regem,& Reginam matrem se conferunt, quibus postquam omnia illa ordine narrarunt, insuper ostendunt, excepto Religionis capite,hoc esse grauissimi momenti: ideóque maturè huic esse prouidendum, ne quid in Maiestatum suarum contemptum admitti permitteretur.

Ad hæc sub multam noctem, Lugdunensem Archiepiscopum, Rex ad se accersiuit, quasi de re maximi momenti cũ illo acturus.

Nuncios à Rege missos, elata voce rogauit Archiepiscopus, num Episcopus Parisiensis in Regiis ædibus esset? ac postquam paululum conticuisset: Scio,inquit, (de Episcopo verba faciens) hoc mihi negotium, apud Regem, ab illo esse confectum: sed Dei beneficio, mihi quod respondeam, satis in promptu est. Regem cùm conuenisset, grauissimis verbis exceptus est, eo potissimùm nomine, quòd pertinaciùs in ea disceptatione se gessisset,quæ de beneficiorum collationibus à Clericatu habita fuerat. Adiectum est,ipsum minimè ignorare posse,eorum nominationem Galliæ Regibus (ad quos nimirum illa spectaret)à Clericatu esse cõcessam.

His

His verò, multis & appositis sermonibus respôdit Archiepiscopus: sed cùm dicêdo pergeret, eius sermo à Câcellario abruptus est, qui eum in modum Regê est affatus: Diutiùs ô Rex dicentê istum Episcopum audire, tempus perdere est: vt enim illum elinguem reddam, duobus tantùm vtar argumentis quorum priùs illud est. A Clericatu quondã, authoritatem illam vsurpatam esse, quã etiamnum hodie sibi arrogare volunt. Alterũ, non solùm ius illud quod postulant, ad Regê pertinere, sed etiam in genere omnia Clericatus Gallici bona, cuius maiorem partê Christianissimi Reges, maiores vestri, præcipuis suis domaniis locupletarunt. Ad hæc non mutus fuit Archiepiscopus, qui Cancellario ingenuè respôdit, debere ipsum rubore suffundi, qui in Regis conspectu, futiles adeò, & nihili sermones funderet: ac tantùm abesse, vt Clericatus bona, & quæ ab eo pendent, ad Regê pertinerent, vt neque Regis sint, neque Clericatus, sed illa à piis (ea sunt Archiepiscopi verba) populi causis Ecclesiæ obtigisse. Tum verò ita se côprehensum & perculsum sensit Birageus, vt præ dolore in morbũ inciderit.

Paulò antè à Nobilibus potissimum grauiter increpatus fuerat, quod oratione sua inepta nimium nobilitatem esset insectatus. Hoc igitur, cũ recenti ista Archiepiscopi impressione, tantum illi doloris attulit, vt præ

morbo, domo egredi non posset, & quanquã septuagenarius, sanguinem tamen sibi detrahi pateretur, sed nec ideo, impuri illius sanguinis, quo maximè refertus est, satis est detractum.

Reginæ matri, factionísque Duci, minimè arridebant eiusmodi rixæ: nihil enim minus sperabant, quàm Cancellarium (qui partium suarum sola est anima) cum iis, quorũ opera indigebãt, & quorum suffragiis se iuuari maximè posse intelligebant, contendere. Itaque vt disceptationibus illis occurratur, Ordinibus significatum est expedire, vt ex singulis conclauibus deligerentur viri duodecim, qui Regem adirent, ac illi tria potissimum capita proponerent, à quibus vniuersa Religionis abolitio pendebat. Isti verò consilio acriter à nonnullis ex tertio Ordine restitum est: qui nõ solùm ad Religionis curtignationem, hoc pacto iter sterni animaduertebant: verumetiam Galliæ expilatoribus quidlibet audiendi licentiam præberi, quibus sanè maiorem triginta sex suffragiorum partem auferre, non esset difficilè, vt leges tyrannicas, cásque perpetuas cõderent totius populi nomine, quẽ postea suo ipsius gladio iugularẽt.

Expedita maximè (vt Reginæ matri, factionis Duci, & eorũ asseclis videbatur) illa erat ratio, qua tyrannidem suam contegerent, ac in ordines. i. in illos XXXVI. viros deriuarent.

Huic

Huic verò rei ita consultum est, vt nihilominus, quod pacis inimici præcipuè cupiebant, bellorũ scil. ciuilium instaurationem, ad Religionis,& edicti(si fieri posset)euersionem obtinerent. Tres illi quorum antea meminimus, procuratores, Episcopus Parisiẽnsis, Archiepiscopus Ambrodunensis,& Abbas Esuayensis, nouum aliud stratagema excogitarunt, vt ad Religionis abrogationem rogandam Nobiles sibi adiungerent. Cæteris contribulibus Prælatis suaserunt, duos idoneos viros, ad singulas Nobilium & tertii Ordinis classes esse mittendos, qui de synceτo illo, quo erga Regem & subditorum quietem, affecti erant animo, illis gratularentur. Ac quemadmodum illos donorũ cœlestium continuationem, quò magis ac magis in opere adeò sancto confirmarentur, à Deo petere decebat: ita etiam ipsi, totus Clericatus nomine, vt strenuè pergant, hortarentur, néve quorundam priuatorum affectibus abripi sinant, qui adeò Catholicæ suæ professioni fuerant infesti: quæ tamen Religio Catholica renasci, & in pristinum splendorem reuerti, sancti illius conuentus opera videbatur: decere igitur, vt omnes, corpus vnum & animã vnam efficerent, simúlque arctis ita vinculis copularentur, vt ex hoc tempore, copula illa deinceps indissolubilis permaneat.

Consilium illud pacis hostibus minimè

fuit inutile. Nonnulli enim ex Nobilibus libellos quosdam editos in præcipuorũ manibus deprehenderant: in quibus addiscebant multa, quæ nunquam antea illorum animis subierãt: ac in eiusmodi libellorum quodam, (cui titulus erat, *Pii Catholici ad Ordines admonitio*) argumenta adeò necessaria reperiebant, vt nihil supra. Alii rursum libelli extabant, qui Guysiorum cõiurationes, & factiones palàm faciebãt: quibus nihil aliud, quàm Religionis professorũ perniciem Regis Nauarreni, Principis Condæi, & Catholicorum pacis studiosorum, interitum moliebãtur, vt faciliùs deinceps Valesiis manus iniicerent, Regnum occuparent, & sceptrum recuperarent, quod Carolo Lotharingo, genuino & proximo Caroli Magni, hæredi, per tyrannidem à Capeto vsurpatum fuisse existimant.

Eiusmodi libellis, mirum in modum exercebãtur factiosorum animi: qui vt illis occurrerent, Regi significarunt, probrosos, & seditiosos libellos passim in Aula haberi, quibus plerique ex Ordinũ delectis deprauabantur: operæ igitur pretium esse, illos edicto vetari, neque sub capitis pœna venum proferri: Quod Rex statim causa incognita fieri præcepit, licet ignoraret quibus fundamẽtis eiusmodi prohibitio niteretur: nisi fortasse eorũ sermonibus adductus, qui nihil vnquã aliud, quàm criminari norunt, qui & ipsi, dilatores sunt,

sunt, testes aduersarii, iudices, simúlque exequutores.

Interdictis istis libellis, statim à Nobiliũ delectis quæsitum est, quidnam illos remoraretur, quò minus de iis tandẽ statuerent, quæ factionis Duci erãt polliciti, vnicam scil. Religionem, Catholicam Romanam à Rege petere. Cui quæstioni responsũ est negotiũ hoc nõ leuis esse momenti, quia si statim ea de re statuerent, periculũ erat, ne Religionis professores, certiores facti, citiùs quàm optandũ esset, arma caperent. Sed istis respõsionibus procuratores isti, dubii & anxii, tãtam in rebus suis difficultatẽ sentientes, magis ac magis accendebantur.

Tandem præstantiorum authoritate sibi opus esse agnouerũt. Itaq; Guysiô significãt, Nobiles non ita illius obsequio paratos esse, vt priùs arbitrati fuerant. Mirambelli opera, nonnullos iam abalienatos esse, scripti cuiusdam prætextu, quod illis exhibuerat, ipsique etiam Reginæ cõmunicarat. Quod scriptum in speciem Catholicis Romanis fauere videbatur: sed re ipsa prorsus illis aduersabatur. Habebat in summa scriptũ illud, Rogandum esse Regem, vt Catholicos suos subditos, sub veteri Religione sua Apostolica & Romana continere vellet, donec Deo sic bene fauẽte, omnium animi in vnam fidẽ & Religionem, sancti & Generalis concilii, opera consenti-

rent. Scrupulum verò iſtum Nobiles amoue runt. Eorum enim delecti, blanditiis, pollicitationibus, & potentiorum minis victi, paulò antè ferias Natalitias, nullam ſe aliam Religionem, quàm Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam petituros, conſtituerunt.

Sententia illa, dum à ſene quodam Nobili pronunciaretur, pleróſq; præ gaudio geſtire videre licebat, qui iam tũ diem adeſſe exiſtimabant, qua Religionis profeſſores extinguerentur. Mirambellus verò, poſtquam ſenex ille pronunciandi finem feciſſet, ab eo iocabundus petiit, nunquid imponẽdis Aſello clitellis omiſiſſet? Atqui, inquit Mirambellus, hoc vnum affero: eiuſmodi ſentẽtiæ protinus me obiicio, ſimúlq; vos omnes qui hic adeſtis obſecro, vt de turbis, quas certè hoc pacto ſuſcitatis, & renouatis, & quis tandem earũ futurus ſit exitus, ſeriò mecũ cogitetis. Inſuper, quid vobis ex Nobilium à quibus in hunc celeberrimum cœtum miſſus ſum, man dato expóſuerim, diligenter perpẽdite: nimirũ ab vtriuſq; Religionis hominibus, edicti obſeruationẽ rogari. Tandẽ etiam aduertite, me præter ea quæ in meis codicib⁹ habẽtur, ſpeciale mãdatum à potentibus viris, Nobilibúſquẽ inſignibus, iiſq; nõ paucis, vt liquet, ſignatum, qui de me grauiter ſentirent, eóq; gradu, quo me dignati ſunt, indignum meritò cenſerent, ſi veſtræ huic ſententiæ, quæ prorſus

ſus illorum voluntati contraria eſt, ſubſcribe rem. Ac multis inſuper adiectis, huiuſce rei teſtimonium ſibi expediri, chartíſq; infra ſententiam ſcriptam inſeri, quo deinceps opportunè vti poſſet, poſtulauit. At vetulus iſte Nobilis, qui præclarã illam declamationẽm pronunciarat, verbis Mirambellum cœpit laceſſere, voluítq; ſibi hæc verba (Clitellas aſello imponere) explicari, ſummo quippe furore percitus, quòd eum cum tanta libertate dicentem, & ſeſe interponentem, audiiſſet. Reſpondit Mirambellus, Clitellas aſello imponere, prouerbii loco eſſe, quod vulgò de eo dicitur, qui ſtomachũ in eum erumpit, à quo nihil vnquam detrimenti acceperit: ſi hæc tibi expoſitio minimè ſatisfaciat, inquit, in quẽ volueris ſenſum rapito: iſta enim parũi facio. Vetulum ad hæc obmurmurantem reliqui Nobiles obiurgarunt. Tumultum inde aliquem excitatum iri credebatur: ſed totum illud conſopitum eſt.

Diebus antè aliquot, nuncii de Electoris Palatini morte allati ſunt, ex quibus nũciis, nonnulli ex primariis Aulicis incredibilem lætitiam ſe accepiſſe, vel geſtu ipſo ſignificabant. Contrà verò ex Religionis profeſſoribus permulti ſummo dolore afficiebantur, quòd Principem adeò præſtantem amiſiſſent, qui Dei gloriam tanta animi alacritate promouerat, & qui apud omnes in eo fuerat

honore, & pretio quod vllus vnquam alius Princeps consequi potuisset.

Postquam factionis procuratoribus sese adiunxisset Nobilitas: venerandi illi viri eadem in Ordinis tertii legatis experiri cœperunt. Nam & hi in biuio erant constituti, siquidē à bonis quibusdam viris intellexerant, si in eandem opinionem cum Nobilibus descenderent, sibi certissimè maiores quàm antea tumultus esse subeundos: insuper etiam malè habiturum populum, quòd qui cum pace ciuitatibus egressi fuerant, iidem redeuntes, bellum reportarent. Quòd si arma rursum sumerentur, periculum esset, ne vnquam pacem recuperarēt: belli onera populo, non nobilitati esse sustinenda: tertii Ordinis ædes & villas incendiis vastari, nullum verò in castris nobilem esse, qui in aduersariorum copiis, cognatum, aut affinem aliquem haberet, à quo ab eiusmodi detrimentis eximeretur. Quas ob causas, multásque alias, quæ in libello (cui titulus erat, *Ad Ordines admonitio*) continebantur, plerique suspensi hærebant, adeóque consilii inopes, vt vel eorum solertissimi sententiā faciliùs mutaturi erāt.

Quæ res vbi statim à factionis procuratoribus deprehensa est, miseros illos delectos stupiditatis & cæcitatis arguebant, quòd iis, qui se à sanctis adeò cœptis deterrere conabantur, fidem haberent. Non posse illos latere,

tere, Regem nonnisi ab exteris, & inimicis coactum, pacem fecisse. Rubore illos suffundi oportere (si modò genuini essent Galli) cù recordantur, nescio quem Germanum extraneum, simplicis Comitis filium, in mediis Galliis, Regi ipsi insultasse, quo si de tāto monarcha, qualis est Henricus 3. triumpharet, dum illum sibi, summo Gallorum omnium qui ei suppetias tulerunt, dedecore, stipendiarium constituit.

Quod si amor ille, & erga Regem suū miserrimo in statu constitutum, obseruantia illos non moueret: saltem sui ipsorū, vxorum, liberorum, cognatorum, amicorum, & conterraneorum misereantur, qui deinceps extraneorum imperium nunquam effugere poterunt, nisi iis quæ se offerunt, remediis vtantur.

Insuper, delectis illis qui ad edicti confirmationem propendere suspicabatur, ista inculcabant, si hoc præstiteritis (inquiunt) Casimirus stipendiis illis, & bonis, quæ sibi in Gallia comparauit, totius populi detrimento, gaudebit: neque hoc tantùm, sed etiam illa singulis annis augere poterit. Illa si auxerit, futurum est, vt ad illius æmulationem Electores & Pricipes Germaniæ qui Casimiro sunt potentiores, sibi in Galliam nostram Huguonotorum artificiis viam aperiant, & quascunque prouincias inuaserint, æternum

occupent. Cõsiderate igitur, quàm inde conditionẽ sperare possitis: ac quod vobis priùs suggestum est, consilio vti non pigeat: hoc enim si exequuti fueritis, omnia in Regis nostri amplitudinem, populi sublevationem, & in inimicorum perniciem cessura, certò habeatis.

Eiusmodi apologia in articulos succinctè digesta, per domos circumferebatur, ac iis legebatur, quos ad pacem petendam inclinare nouerant. Præterea in delectorum illorum conclaue missus est Sorbonista quidam, cui Comes adiunctus est Petrus Carpentarius, Apostata, vt officii illos sui monerent.

Facetum erat, nebulunculos istos, quid sibi vellent nescientes, ac mutuò sese deridentes audire: Carpentarium præcipuè, qui Sorbonistam suum naso suspendebat.

Quòd si Mareschallus Rhetius operã huc suam & authoritatem contulisset, parum vel nihil omnino procuratores illi, & Rhetores profecissent. Multi verò momenti fuerunt illius consilia, prouinciæ enim delectos eo instruxerat modo, vt in toto Ordinũ cœtu, nulli se illis pertinaciores præbuerint. Quibus exceptis, quantumuis seditiosi, & factiosi obstitissent, paria futura erãt suffragia.

Intereadum Ordinum delecti ad solã Romanam religionem poscendam ita ægriter solicitantur: multi insignes viri ab Ecclesiis nomen

men prouinciarum, scil. Insulæ Franciæ, Burgundiæ, Normandiæ, Picardiæ, Campaniæ, & Bryæ, Aquitaniæ, Putonum, Turonum, & agri Lugdunensis, aliique nonnulli Bituriçes, Santones, & Andegauenses Blesas missi sunt, qui vna codices suos inter se, & quæ ab Ecclesiis suis mādata habebāt, cōtulerunt. Verùm quia eorū quæ in scriptis suis continebantur, maxima pars, quæ in edicti præiudiciū admissa fuerāt, spectabat, illa nō solùm Ordinibus non proponenda, sed ne se ipsos quidē exhibendos esse, præsertim cùm Ordines eiusmodi nomine essent legitimi, existimarunt.

Aliis rursum multas in agro Blesiano cohortes esse, & ideò quæ Blesis agebantur, nihil esse quàm nouarū turbarum apparatus afferebāt. Quæ cùm ita haberent, factiones tantùm, & atras Ordinū actiones, in quibus nihil nō corruptum, nihil non iniquum deprehendebant, taciti diligenter obseruabāt, sperantes fore, vt aut patientia sua furiosos illos lenirent, aut eorum improbitatē frangerent. Sed cùm tandē alios excidisse, alios non ampliùs consistere posse animaduerterent, atq; & rumore ipso, religionē Catholicā Romanam ab Ordinibus solam esse rogandā intelligerēt, amplissimum Regi ipsi libellum supplicem, cum quadam querelarum suarū summa exhibuerunt.

Præterea insuper ostendebāt, in ordinibus

occupent. Cōſiderate igitur, quàm inde conditionē ſperare poſſitis: ac quod vobis priùs ſuggeſtum eſt, conſilio vti non pigeat: hoc enim ſi exequuti fueritis, omnia in Regis noſtri amplitudinem, populi ſubleuationem, & in inimicorum perniciem ceſſura, certò habeatis.

Eiuſmodi apologia in articulos ſuccinctè digeſta, per domos circumferebatur, ac iis legebatur, quos ad pacem petendam inclinare nouerant. Præterea in delectorum illorum conclaue miſſus eſt Sorboniſta quidam, cui Comes adiunctus eſt Petrus Carpentarius, Apoſtata, vt officii illos ſui monerent.

Facetum erat, nebulunculos iſtos, quid ſibi vellent neſcientes, ac mutuò ſeſe deridentes audire: Carpentarium præcipuè, qui Sorboniſtam ſuum naſo ſuſpendebat.

Quòd ſi Mareſchallus Rhetius operā huc ſuam & authoritatem non contuliſſet, parum vel nihil omnino procuratores illi, & Rhetores profeciſſent. Multi verò momenti fuerunt illius conſilia, prouinciæ enim delectos eo inſtruxerat modo, vt in toto Ordinū cœtu, nulli ſe illis pertinaciores præbuerint. Quibus exceptis, quantumuis ſeditioſi, & factioſi obſtitiſſent, paria futura erāt ſuffragia.

Intereadum Ordinum delecti ad ſolā Romanam religionem poſcendam ita acriter ſollicitantur: multi inſignes viri ab Eccleſiis no

men prouinciarum, scil. Insulæ Franciæ, Burgundiæ, Normandiæ, Picardiæ, Campaniæ, & Bryæ, Aquitaniæ, Pictonum, Turonum, & agri Lugdunensis, aliique nonnulli Bituriceſ. Santones, & Andegauenses Blesas missi sunt, qui vna codices suos inter se, & quæ ab Ecclesiis suis mādata habebāt, cōtulerunt. Verùm quia eorū quæ in scriptis suis continebantur maxima pars, quæ in edicti præiudiciū admissa fuerāt, spectabat, illa nō solùm Ordinibus non proponenda, sed ne se ipsos quidē exhibendos esse, præsertim cùm Ordines eiusmodi nomine essent legitimi, existimarunt.

Aliis rursum multas in agro Blesiano cohortes esse, & ideò quæ Blesis agebantur, nihil esse quàm nouarū turbarum apparatus af ferebāt. Quæ cùm ita habèrent, factiones tantùm, & atras Ordinū actiones, in quibus nihil nō corruptum, nihil non iniquum deprehendebant, taciti diligenter obseruabāt, sperantes fore, vt aut patientia sua furiosos illos lenirent, aut eorum improbitatē frangerent. Sed cùm tandē alios excidisse, alios non amplius consistere posse animaduerterent, atq; & rumore ipso, religionē Catholicā Romanam ab Ordinibus solam esse rogandā intelligerēt, amplissimum Regi ipsi libellum supplicem, cum quadam querelarum suarū summa exhibuerunt.

Præterea insuper ostendebāt, in ordinibus

nuper Aureliæ conuocatæ, liberum Religionis exercitium, iis omnibus qui eam profiteri vellent, esse concessum: quandiu illa Aurelianensium Ordinum sententia viguisset, minime tumultuatũ fuisse populum: sed quamprimum libertatem illam eripere cœptũ est, simul bellorũ ciuilium turbas cœpisse, quæ tanta huic Regno inflixerũt vulnera, vt nondum eorum dolor resederit vniuersum à paucis diebus crudelibus bellorum flammis ita exarsisse, vt earũ etiamnum hodie cineres fumare conspiciantur: iniquum esse nondũ sopitos ignes exufflare, denuò ea quam Ordines sequi vellẽt, ratione, suscitare velle. Causa huius cognitionẽ ad Ordines minimè pertinere. quicquid enim hominũ conscientiam & Religionem spectat, illud ad generale vel nationale concilium tantùm, nõ verò ad Ordines, (qui in eum finẽ, vt ex Regis diplomatis constat, indicti non sunt) deferendum esse.

Adde quòd Ordinum conuocatio, ex edicti pacificationis præscripto, cap. 58. instituta est. cap. verò eiusdem edicti 49. Fidei & Religionis decisio, Cõcilio relinquitur. Contradictorium & pugnans illud esse, si quod edictum conuocandorum Ordinum causa & origo fuerit, idipsum ab ipsis Ordinibus dissolueretur. Ac licet penes ipsos ea esset authoritas, nihilominus tamẽ, Religionis professores, qui in ipsis ordinibus alterum veluti oculum

oculum efficiunt, audiendos fuisse. Illos verò indicta causa damnari, iniquã eiusmodi sententiam ab æquis iudicibus nunquã iri comprobatam.

Quare suppliciter Regem rogabant, vt ea diligenter, quæ pacis dissolutionem cõsequi poterant, perpenderet, néve Clericatus, Nobilitatis, aliorúmque tertii Ordinis delectorum opinionibus adhæreret. Cæterùm (Ecclesiis Prouinciæ, Narbonẽsis Galliæ, & Delphinatus subscribentes) se nihil eorum quæ aut acta fuerant, aut agenda erant probaturos testabantur.

Eiusmodi supplices libelli, à quinque Nobilibus, & quibusdam ex tertio Ordine aliis sunt subsignati: qui omnes vnà Regem obtestati sunt, vt qua die, quáque hora, per otium liceret, rationibus suis attẽdere dignaretur. Quod à Rege concessum est, qui diem illis indixit, qua die ex præcipuis quinque se omnium nomine suppliciter, demisséque exhibuerunt. Rex eorum libellis recitatis, respondit, se Ordinum delectis silentium impo nere non posse, quia id si faceret, Ordinibus libertatem eripere videretur: sed tamẽ quicquid illi molirentur, quid è re sua esset satis nôsse. Adiecit se benignum esse Regem, pacis & subditorum tranquillitatis studiosum, séque effecturum, vt vtriq; tãdem cùm bona gratia dimitterentur.

Paucis ante libellorum istorũ exhibitionem, diebus, mense scil. Decembri, in Aulam missi sunt à Rege Nauarræ, & Principe Cõdæo, Beynacius & *Desaguetz* cum hoc mandato, vt Reginam Nauarrenæ adirent, cuius opera, ad Regem. Cardinalem Borbonium, & Mompenserium deducerētur quibus mandata sua, & aduentus sui occasiones pluribus exponerent. A Rege obtinuerunt, vt in singulis Ordinum conclauibus, Principum nomine audirentur. Ac in eum finem seorsim per Nobiles quosdam qui dicuntur Ordinarii, à Rege moniti sunt Ordines, vt Nauarreni & Condæi delectis dicendi apud se potestatem facerent.

Quod cùm primum intellexissent nonnulli Ecclesiarum legati, statim delectos illos conuenerunt, quibus significarunt ab Euangelicis minimè Ordines istos comprobari, quippe qui non legitimi essent, sed adulterati, & ex factiosis hominibus conflati. Quod si se in conclauia illa admitti paterentur, Ordines istos tanquam æquos & legitimos iudices approbare viderentur, à quibus postea, nulla admonitionum ratione habita, protinus damnarentur: rata enim iandudum erat sententia, à qua nullis se rationibus dimoueri sustinerent.

Adieceerunt prætereà Nobilem quendam *de la Rogue*, qui sub Nouembris finè in Aulam

Iam venerat, debuisse esse eorum memorem, quæ antequam discederet, de Ordinum improbatione, cùm eo cõstituta fuerant: an tantisper expectatum fuisse, donec Principum legati cum manifestissimis querelis accederet, vt postea tanquam illegitimi & iniqui Ordines recusarentur.

Nõ neglecta est à Principum legatis, ista admonitio, qui facilè ab eo quod priùs ceperant, consilio discesserunt. Hoc verò efficiebat, vt multi, aut delectos ipsos à Principibus reuocari, aut non nisi grauissimis de causis, ipsorum legationem differri existimarẽt. Nec immeritò sanè: eorum enim articuli (si alii vnquam vlli) appositissimi erãt, & ad permouendos Ordines aptissimi, grauibúsque adeò verbis concepti & instituti, vt singulæ voces sententiam constituerent. Verùm quia Ordinibus exhibiti non fuerunt (maximam enim eorum partem corruptam esse constabat) sed tantùm à quibusdam priuatis perlecti, eorum copiam nemini fecerunt, donec de consilio cum Ecclesiarum delectis inito, Principes monuissent, ac eorum super his sententiam accepissent.

Paulò pòst quàm expeditiones suas Agenum misissent: nuncii quidam à Curia, Iuratis aliisque Burdegalensibus Magistratibus missi, in Aulam venerunt cum magno literarum fasciculo, quæ maxími (vt aiebãt) mo-

menti erant. Literæ illæ in Burdegalensi Curia, coram ipsis iuratis, & Magistratibus dictatæ & scriptæ fuerant. Quarum aliæ ad Regem, aliæ ad Reginam matrem, aliæ verò ad Alenconium pertinebant. Eadem quoque opera, literas quasdam sibi à Rege Nauarræ 15. Nouembris datas miserunt, in quibus grauiter de Curiæ & Iuratorum temeritate conquerebatur, quòd in ea vrbe, præsidia sine suo, aut legati sui mandato collocauerat: hoc eiusmodi hominès minimè decere: se non ita procul (quod satis nôrant) ab vrbe distare, vt si necessaria fuissent præsidia, illis prouidere non potuissent. Ac quoniam Regis subditos leuari cupiebat, rogabat, vt sibi indicaretur tempus, quo ab illis in vrbem admitti posset, ac omnia ita componeret, vt tãdem optimè omnibus esset consultum.

Ratio illa scribendi Burdegalensibus Senatoribus dura admodum videbatur, qui sanè Principi suo respõsum existimatione sua indignum fecerunt. Significant enim se præsidia illa in vrbem suam, ipso inconsulto admittere potuisse, & debuisse: temporis necessitate se ad hoc fuisse compulsos: nihil sine optimo consilio & Marchionis Villariensis Galliæ Amirallii, & Nauarreno absente, generalis in Aquitania legati, mandato susceptum esse. Adde quod antea anno 1548. tam multa suo damno experti sint, vt pericula illa in quibus

in quibus maiores sui cõstituti fuerunt, perpetuo sibi exemplo esse debeant.

Cæterùm mirari se, cur tantos viros reprehendere & increpare, in re nullius momenti, non dubitaret, cum in aliis grauioribus rebus, id minimè faceret. Non alio opus esse quàm Laugoirani, aliorúmque Petrigoricorum, testimonio, qui à paucis diebus Bazasium occupauerant, & magnum tormentorum numerum ad vrbes suæ prouinciæ capiendas circumuehebant. Tādem Colophonis loco addunt, nondum ad illum, vt par est, excipiendum, paratos esse Burdegalēses: sed ante illius aduentum, operā se daturos, vt rectè omnia procedant.

Quæ ad Regem literæ prolixè admodum scribebātur, multas aduersus Regem Nauarræ, astutè, & iniquè commentas querelas continebant. Quæ verò ad Reginam matrem, & Alenconium pertinebant, in summa habebant, se in maximo discrimine versari, quòd erga Regem suum, fidorum subditorum officiis defuncti essent: se ab iis qui Regis detrimentum procurant, immeritò accusari, quod tutis vrbem suam præsidiis muniissent. Itaque quandoquidem à Rege, Alenconius meliorem in hoc regno partem sortitur, & ad illum præcipuè Matrémque Reginam res ipsa attinet, suppliciter illos rogant, vt quamprimum rem ipsam expediri curent,

vt hoc pacto officia sua Regi grata fuisse intelligerent. Cæterùm se fidissimos & ad omnia obsequia præ cæteris paratissimos fore pollicentur.

Regis Nauarreni literæ 15. Nouembris, Senatui Burdegalensi, vt supra, redditæ sunt, ac decimo octauo die sequenti, nuncius ab eodem Senatu ad Regem missus, Blesas appulit: cuius literæ in eas manus deuenerunt, vt postridie Nauarreni Regis delecti illarum exemplar descriptum habuerint, ac per certum hominem, ad Principem suum miserint.

Eo tempore valde solicitabatur Lanoëus, vt ad Ordinum conuentum se conferret, qui, vt cõseruationis huius regni studiosus maximè est, se & caput suum periculis obiicere, & in Aulam venire constituerat. Illũ verò multi & probi viri ab isto consilio dimouerunt, qui sine capitis discrimine hoc suscipi non posse, illi significarunt Blesas quidem ingressurum, sed Blesis minimè egressurum esse.

Iam si Burdegalensis curia, palàm ingeniũ suum prodebat, non alio se modo curiæ aliæ gerebant, prouinciarum Præfectis adiunctæ, vt omnibus modis Religionis exercitium ab iis locis, in quibus præualebant, profligaretur. Ac quanuis à Pariensibus id ad tempus esset permissum, quo tranquillitatis inimici, specioso aliquo prætextu, ad impetendum edictum se protegerent, multa tamen alia impedimenta,

pedimenta multi aduersus edictum conatus, omnia eorum consilia, quæ hodie patefacta sunt, facilè commonstrabant.

Vidimus antea, quid Religionis professoribus Rex respōderit, nempe se subditorum suorum trāquillitatis maximè studiosum esse. Verùm alia ex parte, dum Principes ad Ordines inuitabant, conabantur Regem Nauarræ allicere, Condæi Principis homines emere aut corrumpere, vt ipse citò vel caperetur, vel alio quouis modo interimeretur.

Danuilleum verò quòd attinet, postquam in Sabaudiam profectus fuisset, multáq; Religionis professoribus esset pollicitus: nihilominus (quantumuis hoc improbaretur) illius Scriba, nomine *Chartier*, Blesas contendit, vnde cùm reuersus esset, licet proditionis conuinceretur, nihili tamen ista fecit Danuilleus: sed eum potiùs, vt antea, secum retinuit.

Rursum Episcopus *du Puy*, familiarissimè, & arctissimè cum Danuilleo egerat, qui palàm in Euangelicorum & Catholicorum conuentibus præclara multa pollicebatur, qui Ordinibus etiam egregias literas conscripsit. Verùm se furtim abduci patiebatur: cui rei peragendæ, Episcopus ille *du Puy*, *&* *Doignon*, *&* *Chartier*, diligentem operam nauarunt, in factiosorum gratiam, qui nihil aliud cupiebant, quàm Narbonenses dissidere, vt postea inter sese luctarentur.

vt hoc pacto officia sua Regi grata fuisse intelligerent. Cæterùm se fidissimos & ad omnia obsequia præ cæteris paratissimos fore pollicentur.

Regis Nauarreni literæ 15. Nouembris, Senatui Burdegalensi, vt supra, redditæ sunt, ac decimo octauo die sequenti, nuncius ab eodem Senatu ad Regem missus, Blesas appulit: cuius literæ in eas manus deuenerunt, vt postridie Nauarreni Regis delecti illarum exemplar descriptum habuerint, ac per certum hominem, ad Principem suum miserint.

Eo tempore valde solicitabatur Lanoëus, vt ad Ordinum conuentum se conferret, qui, vt cõseruationis huius regni studiosus maximè est, se & caput suum periculis obiicere, & in Aulam venire constituerat. Illũ verò multi & probi viri ab isto consilio dimouerunt, qui sine capitis discrimine hoc suscipi non posse, illi significarunt Blesas quidem ingressurum, sed Blesis minimè egressurum esse.

Iam si B rdegalensis curia, palàm ingeniũ suum prodebat, non alio se modo curiæ aliæ gerebant, prouinciarum Præfectis adiunctæ, vt omnibus modis Religionis exercitium ab iis locis, in quibus præualebant, profligaretur. Ac quanuis à Pariensibus id ad tempus esset permissum, quo tranquillitatis inimici, specioso aliquo prætextu, ad impetendum edictum se protegerent, multa tamen alia impedimenta,

pedimenta multi aduersus edictum conatus, omnia eorum consilia, quæ hodie patefacta sunt, facilè commonstrabant.

Vidimus antea, quid Religionis professoribus Rex respõderit, nempe se subditorum suorum trãquillitatis maximè studiosum esse. Verùm alia ex parte, dum Principes ad Ordines inuitabant, conabantur Regem Nauarræ allicere, Condæi Principis homines emere aut corrumpere, vt ipse citò vel caperetur, vel alio quouis modo interimeretur.

Danuilleum verò quòd attinet, postquam in Sabaudiam profectus fuisset, multáq; Religionis professoribus esset pollicitus: nihilominus (quantumuis hoc improbaretur) illius Scriba, nomine *Chartier*, Blesas contendit, vnde cùm reuersus esset, licet proditionis conuinceretur, nihili tamen ista fecit Danuilleus: sed eum potiùs, vt antea, secum retinuit.

Rursum Episcopus *du Puy*, familiarissimè, & arctissimè cum Danuilleo egerat, qui palàm in Euangelicorum & Catholicorum conuentibus præclara multa pollicebatur, qui Ordinibus etiam egregias literas conscripsit. Verùm se furtim abduci patiebatur: cui rei peragendæ, Episcopus ille *du Puy*, *&* *Doignon*, *&* *Chartier*, diligentem operam nauarunt, in factiosorum gratiam, qui nihil aliud cupiebant, quàm Narbonenses dissidere, vt postea inter sese luctarentur.

Hinc effectū est vt Capitaneus *de Luynes* vbi aliquandiu Blesis à potentioribus blandè & benignè acceptus esset, inde celerrimè profectus, sciente & vidente Danuilleo (qui præmonitus fuerat) Pontem S. Spiritus cœperit, ac hactenus occuparit, qui locus licet recuperatu non difficilis esset, minimè tamen omnium id curauit Danuilleus, nisi fortè quibusdam literis, quarum effectus nullus apparuit.

Multorum animos illius loci occupatio expergefecit. Sed vt huic rei prouideretur, Rex multis ad prouinciarum Præfectos literis significauit, eam sibi semper fuisse, nec non esse mentem, vt in pace subditi sui continerentur: securi igitur esse iuberentur Religionis professores, quibus ne minima quidem iniuria inferretur: diffidentiæ occasiones amouerentur, ac modestè se omnes secundùm pacis edictum gererent.

Cæterùm ex Nobilibus præcipui nonnulli ad factionem confirmandam huc & illuc mittebantur. Rex verò Byronium, & Amyotium Altissiodorensem Episcopum ad Principes delegare instituit, vt eos de consilio ab hi Ordinibus inito, certiores faceret: vnicam scilicet Romanam Catholicam religionem esse habendam, ministris omnibus, senioribus, Diaconis, aliisque, qui in Religionis, reformatæ dictæ, Ecclesiis, prouinciā aliquam obtinue-

obtinuerant intra trimestre regno exeundū: quamobrem rogabat Principes, vt quid hac de re sentirent, aut quam ordinum cum gratia dimittendorum rationem sequi posset, docerent.

Ad hoc ipsum Mompenserius quoq; cum Amyotio missus est, qui postquam Blesas reuersus esset longa ad Ordines oratione scripta docebat pacem in Gallia conseruari necesse esse: Ordinum esse partes, Regem rogare, vt quod Euangelicis exercitium permisisset, integrum illis & liberum, sineret. Sibi quidem solam Romanam Catholicam religionem probari: veruntamen rerum statum poscere vt Religio reformata dicta, tolleretur, alioquin fieri non posse quin Regnum protinus concidat. Tertii Ordinis delecti postquam deliberandi spatium sumpsissent, constituerunt Regem rogare, vt aliis rationibus, quàm armis subditos suos ad Religionem Catholicam Romanã reuocaret, prout à Versorisio oratore suo (cui hæ partes demandatæ erant) propositum esse oportuerat. Verùm quia Versorisius Reginæ matris & factionis Ducis mancipium est, hoc caput in oratione sua, lubens prætermisit: ideóque à suis quibusdam adiunctis vehementer increpatus est.

Ad Februarii finem oratio illa exhibita est: nullius tamen fuit momenti, quia iam

tum paratum erat bellum, ac qua ratione, & quomodo suscipiendum esset, tenebatur. Itaque etiam paulò post Rex prouinciarum præfectis significat, se ab Ordinibus Blesianis rogatum esse vt vnica tantùm Romana Catholica religio in regno relinqueretur: se igitur eorum postulationi acquiescere velle: ipsi interea videant vt omnes in pace contineant, id est, Religionis professores fumo pascant, donec quod illis parabatur esset exequendum.

Vt autem illa Ordinum comœdia velo aliquo obtegatur, iubentur delecti codices suos Regi exhibere, qui illis (vt inquit in diplomate quodam postea fabricato) negotiis quibusdam ante confectis, prouideret. Conficienda scilicet illa sunt, negotia, Euangelicos delere, adiunctos Catholicos euertere, & Regnum incendio consumere, quemadmodum id experientia docuit, nominatim in Caritii, & Yssoduri obsidionibus, vbi à Catholicis plusquam Turcica facinora admissa sunt: deuastata & populata loca in Delphinatu, & Oxitonia: Danuillæi *Belle Garde*, & Mandelotii conatus, qui omnium primi Euangelicos adorsi sunt.

Terra mariq; exercitus in Aquitania conflati: bonorum proscriptiones, edicta, artificia, expeditiones ad factionem exequendam. Hæc inquam omnia quatuor pòst mensibus, cùm

cùm se Ordinum delecti recepissent edita sunt. Infinitæ aliæ supersunt circunstantiæ, multáque singularia, quæ omnia Regis Henrici tertii historia sigillatim comprehendet. Antequam autem narrandi finem faciam: hoc vnum addam: Nobilis quidam Bryensis Amyotio Altisiodorensi Episcopo familiari suo, antequàm ad Regem Nauarræ cum Mompenserio proficisceretur, de delectorum inconstantia, verba nonnulla fecit, eos scilicet multoties ab ea via, quam sequi debuerant, deflexisse, ac sui erga Deum, Regem, & patriam communem officii fuisse immemores. Cui respondit Amyotius, Non adeò, inquit, sui immemores fuerunt delecti, ac existimas: nihílque nisi continuo ordine & consilio admiserunt. Si enim edicti obseruationem absolutè rogassent, malè hoc acceptum fuisset, si eorum postulationi Rex aliquid detraxisset: quia hoc pacto magis ac magis edictum esset confirmatum, quod latè nimis patet in multis articulis, qui sanè in præcipuis Regni vrbibus ferri, aut obseruari sine seditione non poterant.

Verùm edicti dissolutionem reticendo, ac de sola Romana Catholica Religione sermonem faciendo, multò faciliùs est Regi illorum animos lenire, ac aliquid concedere quod cum illorum affectibus cõueniat, quàm inter subditos suos perpetuam diffidẽdi ma-

teriam ferere. Itaque vt huic periculo caueatur, vt & par est, obuiam eatur, conciones & Religionis exercitium præcipuis Regni ciuitatibus aufferre constituit eius Maiestas, ita tamen vt in conscientiam nihil inquiratur. In quibus verò vrbibus magnus esset eorum numerus in iis liberum fore exercitium, modò ne ministri in missam inuehantur. Nonnulla etiã alia eiusdem generis adiecit: nempe Catholicam Romanã religionem solam esse retinendam, quemadmodum hodie re ipsa comprobatum est.

Regina mater Blesis cũ alio quodam nobili in hortorum Regiorum porticu deambulans, eadem ferme verba habebat, vt ad Principum extraneorum aures, quibus cum pacem negociata fuerat, peruenire possent. Quinetiam Villequerius cum scriptis quibusdam missus est, vt eos à Gallis Euangelicis disiungeret, ac faciliùs (vt loquuntur) aliquando ad obsequium vtrique redigerentur. Sed nõ illi gratum fuit admodum Nobilis istius responsum: validis enim rationibus ostendit, si quid de edicto detraheretur, grauiores quàm antea tumultus esse subeundos, quorum exitus ambiguus esset, ac non minùs Catholicis, quàm aliis detrimenti allaturus. Quid tum? aures suas rationi obstruit, nullo remedii afferendi animo tenetur: Galli maxima ex parte malum suum minimè sentiscunt,

tiscunt, imò volêtes magis ac magis se istiusmodi seruitutis tricis implicant, vt nihil aliud restet, quàm extremum excidium, quod solus Deus afflictorum, qui ad se continuò clamant, sortem miseratus, impios verò, & perfidos, qui tandem in illius manus deuenient, vltus, potest auertere.

En igitur paucis partem aliquam status, in quo miseranda Gallia constituta est, quæ suæ magnitudinis oneri succumbit: quæ quia dies visitationis suæ, & gratiam sibi à Deo oblatam non agnouit, hodie iustam Dei vindictam experitur. Dei quidem iudicia ab eius domo incipiunt, sed & hic consolationis materiam reperiunt fideles, qui dum pro iustitia patiuntur, communem cum omnibus Dei filiis conditionem subeunt. Sed tranquillitatis publicæ hostes quòd spectat, qui hodie nefandis artibus subsistunt: eorum plusquam ferinis furoribus iustam hanc apologiam obiicientes, summi Dei manum expectemus, ac certò habeamus non tanta posse vel imaginatione comprehendi tormentorum genera, quantis aliquando isti cruciabuntur. Ac licet securi hodie sibi esse videantur: tandem tamen fateri cogentur (nisi fortè iam illud ipsum sentiunt) se infelicissimos fuisse, dum sceleribus suis velandis tanta tyrannide, & feritate abusi sunt,

vbi in pace consistere, & rebus confusis consulere, difficile non fuisset. Quod cùm neglexerint, par est, vt qui tanto studio perniciem suam affectarunt, in eam tandem incidant.

* *
*

FINIS.

W